HISTORICA NOTITIA
Rituum ac Ceremoniarum Sinicarum
In colendis Parentibus ac Benefactoribus Defunctis,

Ex ipsis Sinensium Authorum libris desumpta


A

P. FRANCISCO NOËL,
Societatis JESU Missionario.

De speciali Licentia

SS.D.N.D. CLEMENTIS PAPÆ XI.
ET
SUPERIORUM PERMISSU.

PRAGÆ, typis Univers. Carolo-Ferdinand. in Collegio Soc. JESU ad S. Clementem, per JOACHIMUM JOANNEM KAMENICKY Factorem, Anno 1711.



INDEX

Capitum & Quæſtionum in hoc libello contentarum.

CAPUT I. De origine,& fine Rituum Sinicorum in genere & in ſpecie.

CAPUT II. De diverſis Ceremoniarum *Cy* ſpeciebus apud Sinas.

X 2 *Quæres*

CAPUT III. De Mente Sinarum circa hominis Animam & Spiritum.

CAPUT IV. De funebribus Ritibus à morte hominis usque ad triennium, quo durat luctus funeralis.

Quin-

CAPUT V. De Parentali Signo, seu lignea Tabella, Sinicè *Mo Chu*, quam erigunt Sinæ ad colendos Defunctos post sepulturam.

CAPUT VI. De Parentali Ædificio, quod exstruunt Sinæ ad colendos Defunctos Parentes.

CAPUT VII. De fine & intentione, ob quam varii Ritus erga Defunctos olim instituti sunt, ac nunc fiunt in Parentali Ceremonia Cy.

CAPUT VIII. De Parentalibus Ceremoniis, quæ fiunt Benefactoribus defunctis, & maximè Confucio.



PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



Ulla major hallucinatio eſt, quàm velle de rebus, quas neſcimus, diſceptare; tunc enim ſolet ſæpe contingere, ut magnam longæ diſputationis & argumentationis molem ſuper aëreum ac chymæricum fundamentum conſtruamus; aut unum pro alio, album pro nigro, cælum pro terra accipiamus; aut aſtruamus ſeu ſupponamus in rerum natura exiſtere id, quod nec exiſtit, nec unquam extitit; & dum arbitramur ire ad Orientem, tendamus ad Occidentem. Hoc autem frequenter factum vidimus, ac ſimul luximus in materia Rituum ac Ceremoniarum Sinenſium jam à tot annis controverſarum, in quibus unuſquiſque pro pruritu ingenii, aut zeli ardore voluit & Sinarum conſuetudines vel facta referre, & ſuam particularem ſententiam ferre. Ut ergo daremus certam aliquam & indubitatam iſtarum rerum notitiam, nulla tutior mihi viſa eſt via, quàm ad ipſos fontes recurrere; ad Sinicos, inquam, libros, in quibus iſtorum Rituum & origo, & inſtitutio, & finis, & modus,

& intentio, & tempus, & varietas singillatim descripta reperiuntur. Quapropter quæ mihi visa sunt magis facere ad præfatam notitiam, ea in pauca capita, & singula capita in breves quæstiones distribui, ut sic Lectoris tædium vitarem, vel saltem sublevarem. Responsa ad quæstiones ut essent indubitata, certámque fidem facerent, ea ex solo ipsorum librorum Sinicorum textu in linguam latinam verso excerpsi. In vertendis autem horum librorum textibus, variam secutus sum viam; ubi nullam vidi inesse verborum difficultatem aut ambiguitatem, me potiùs adstrinxi ad verborum sensum, quàm ad ipsa verba, ut non obscurus forem; Contrà ubi poterat inesse difficultas ob verba Sinica ambigua, & utcumque obscura; tunc magis me adstrinxi ad vertenda ipsamet verba, prout jacent, quàm ad reddendum omninò clarum illorum sensum, nè ipsómet textu clarior forem.

Deinde quia Libri, & Authores, quos cito, variæ sunt authoritatis ac temporis; idcircò brevem illorum notitiam hìc præfigo.

Primæ apud Sinas authoritatis libri sunt illi, quos vocant Ou Kim, *id est, quinque communis & incommutabilis doctrinæ libros; &* Su Xu, *id est, quatuor alios libros, anomasticè dictos* quatuor libros.

Primus istorum quinque, dicitur Ye Kim, *id est, liber mutationum ac productionum; primùm à Principe* Fo hi *Sinarum Conditore per characteres tantùm ænigma-*

gmaticos, seu notas symbolicas propositus, quibus verba & explicationem adjunxit Princeps Ven Vam *& Princeps* Cheu Kum; *huicque explicationi superaddidit compendiosam explanationem Confucius.*

Secundus dicitur Xu Kim, *id est, liber Annalium Imperialium, scilicet Imperatorum* Yao, Xun, *triúmque sequentium Imperiorum* Hia, Xam, *&* Cheu, *tunc temporis ab ipsis regiis historiographis conscriptus.*

Tertius dicitur Xi Kim, *id est, liber Carminum, sub his prædictis Imperiis à variis Authoribus conscriptus, & à Confucio emendatus.*

Quartus dicitur Chun Cieu, *id est,* Ver, *&* Autumnus, *seu liber quorumdam Annalium Regni* Lu, *in bonum ordinem à Confucio redactus.*

Quintus dicitur Li Ki, *id est, liber Rituum, scilicet eorum, qui sub prædictis Imperiis vigebant, in unum corpus redactorum à viris litteratis Imperiorum* Cin, *&* Han.

Præter hos quinque olim addebatur sextus, dictus Cheu Li, *id est, ritus Imperii* Cheu, *primùm à Principe* Cheu Kum *incohoatus, deinde à viris literatis Imperii* Han *absolutus; & tunc dicebantur* Lo Kim, *seu sex libri Classici; sed hic exolevit, & extra ordinem horum librorum classicorum positus est, ita ut nunc tantùm quinque nominentur.*

Deinde quatuor aliorum Librorum, dictorum Su Xu, *primus dicitur* Ta Hio, *id est, Adultorum doctrina,*

à Confucio compositus, & ab ejus Discipulo Tsem Tsu *explanatus.*

Secundus Chum Yum, *id est Medium (nempe virtutis) immutabile, à* Tsu Su *nepote Confucii conscriptus. Hi duo Libelli* Ta Hio, *&* Chum Yum, *erant priùs parva aliqua pars, seu duo separata capita libri Rituum; indè extracti sunt sub Imperio* Sum, *& seorsim impressi.*

Tertius dicitur Lun Yu, *id est, liber Sententiarum, tum à Confucio, tum ab ejus discipulis prolatarum.*

Quartus dicitur Mem Tsu, *id est, liber Doctoris Memcii, in quo agit præcipuè de pietate, & æquitate ad bonum regimen necessaria, de variis Sectarum erroribus, de innata naturæ rationalis bonitate. Hi omnes libri, excepta aliqua libri* Ye Kim *parte, & alii, fuerunt olim flammis traditi ab Imperatore* Xi Hoam, *ac posteà non sine dispendio, varia cum immixtione, augmentatione, diminutione resarciti sunt. Unde non sunt ubique suo fonti consimiles.*

Præter hos libros Classicos & antiquos, alii sunt recentiores, aut istorum antiquorum interpretes, quos etiam sæpiùs cito, iique sunt inferioris ordinis, ac ponderis. Nempe liber qui dicitur Pe Hu Tum; *id est, communis regiorum Doctorum sensus, etiam sat antiquus; fuit conscriptus sub Imperio prioris familiæ* Han; *& alius dictus* u Kim y y, *id est, quinque librorum specialis explicatio, conscriptus à Doctore* Hiu Xin *sub Imperio posterioris*

rioris familiæ Han ; *alius dictus* Y ven luy ciu , *id est, variarum rerum farrago ad scientias spectantium, conscriptus sub Imperio* Tam ; *alius dictus* Sim li piao ti, *id est, naturæ, & rationis brevis explicatio, conscriptus sub initio præcedentis Imperii* Ta Mim, *imperante* Yum Lo; *alius dictus* Su xu mum yn , *id est, quatuor librorum Classicorum facilis interpretatio; fuit conscriptus à Doctore* Tsay hiu chay *sub eodem Imperio* Ta Mim, *imperante* Hum Chi; *alius dictus* Kia li, *id est, Ritus domestici , conscriptus ab interprete, seu Doctore* Chu Hi *sub Imperio* Sum , *imperante* Xim Hi; *ejus autem glossa conscripta à Doctore* Yam, *sub Imperio* Ta Mim, *imperante* Chim Te. *Denique plerique aliorum Authorum, quos cito, vixere sub hisce ultimis Imperiis vel* Sum, *vel* Yuen, *vel* Mim *seu* Ta Mim, *v. gr. interpres* Chin Hao *sæpissimè citatus vixit sub Imperio* Yuen, *imperante* Kia Tim; *interpres* Tsay Xin, *sub Imperio* Sum, *imperante* Chi chi; Cham Kiu Chim, *vulgò* Cham ko lao, *seu primus Imperii minister, sub finem præcedentis Imperii* Ta Mim, *imperante* Van Lie ; *reliquos omitto nè sim longior. Ex his poterit colligi , quid olim , & quid nunc sentiant Sinæ circa res controversas ; & hæc pauca indicâsse sufficiat ad clariorem dicendorum intelligentiam. Siquis plura in hac materia desideret, videat Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos, seu Tract. 2. de Philosophia Sinica. Ibi omnia quæ spectant ad Ceremonias*

Sinicas in colendis Defunctis, enucleatè exposita ac discussa inveniet, omnésque solutas difficultates; hìc enim tantùm Historicè loquor.

Materies & ordo rerum dicendarum.

NOn est animus in hac brevi pagina omnes ritus, quos Sinæ ad colendos Defunctos adhibent, referre; sed tantùm eos, qui sunt magis speciales, quique in materia Religionis possunt aliquam parere difficultatem. Quare non hìc ago de feretro, ejúsque ornatu, de cadaveris syndone, de sepulturæ loco, de veste lugubri per trimestre, semestre, annuum, triennale temporis spatium gerenda, & ejus diversitate juxta diversum consanguinitatis, aut affinitatis gradum, de lugendi modo, & de variis aliis rebus huc spectantibus, quæ omnia ad nauseam in suis libris enucleatè, & singillatim præscribuntur, vel referuntur, atque sæpius iterantur; nihil enim præter communem gentium morem, si excipias exteriorem exactudinem ac pompam, continent. De quibus verò mihi videtur hìc agendum, sunt hæc octo: 1. Origo ac finis Rituum Sinicorum. 2. Diversæ Ceremoniæ *Cy* species. 3. Mens Sinarum circa hominis animam. 4. Funebres Ritus à morte hominis usque ad triennium, quo durat luctus. 5. Parentale signum seu lignea tabella, quam erigunt Sinæ ad colendum Defunctum. 6. Parentale ædificium, quod extruunt Sinæ ad colendos defunctos Parentes. 7. Finis & intentio parentalium Ceremoniarum, quæ quotannis fiunt Parentibus defunctis. 8. Parentales Ceremoniæ, quæ fiunt Benefactoribus defunctis, & maximè Confucio. Nunc ordine de singulis; sed nota me tantùm referre hos ritus prout habentur in libris; nam quoad praxim, multi illorum non sunt in usu. Deinde aliqui ab his adhibentur, aliqui ab istis non adhibentur; quæ omnia distinguere, difficillimum est; & ad id distinguendum penè omnium Chinæ locorum practica notitia requireretur. Attamen subinde in decursu aliquid de hoc indicabo. Itaque

CAPUT I.

CAPUT I.

De Origine, & fine Rituum Sinicorum in genere, & in ſpecie.

QUæres 1. Quæ ſit origo Rituum Sinicorum in genere, & in ſpecie?

Reſpondeo: Sic ait liber Rituum tom. 4 cap. 9. dicto *Ly yun*: quod attinet ad horum Rituum principium, id habetur a primis condiendi cibi & potûs Inventoribus; hi milium ſupra calefactum lapidem torrebant, & ſupra eumdem, diſſectam carnem porcinam aſſabant. Deinde effoſſam lacunulam aquâ implebant, & ad illam potandam ſeu hauriendam palmâ manûs pro cyatho utebantur. Præterea ad tundendum figulinum tympanum, ex durato luti fragmento piſtillum conficiebant. Hiſce levibus rebus ſuam vel ſic erga Spiritus, ac Parentes defunctos venerationem exhibere poterant. Statim atque homo obierat, in ſuperiorem domûs partem aſcendebant, & altâ voce Defunctum inclamabant dicendo. N. redi. Videndo autem eum non reviviſcere, tunc ei præſentabant crudam orizam, (qualis antiquitùs comedebatur, dum ignis uſus nondum habebatur) & carnis coctæ fruſta, (qualis nempe comedebatur poſt habitum ignis uſum;) idcircò oculos in cælum attollebant ad inclamandam animam, & in terram deprimebant ad humandum corpus; mortuum enim corpus deorſum vadit, & vitalis Intelligentiæ aura ſurſum exiſtit. Quod autem homo mortuus jaceat capite ad Boream verſo, & vivus ſedeat vultu ad Auſtrum directo, id utrumque fit ad ſequendam primitivam antiquiſſimi ritûs inſtitutionem.

Olim priſci Imperatores, dum nullus adhuc erat palatiorum ac Domuum uſus, hieme habitabant in ſubterraneis, quas effodiebant, cavernis; & æſtate in mapalibus ex ramorum ac lignorum ſarmentis extructis. Dúmque nullus adhuc etiam erat ignis uſus ad cibos coquendos, veſcebantur plantarum, & arborum fructibus, crudáſque volucrum ac pecudum carnes comedebant, eorum ſanguinem potabant, pilóſque cum carne, utpote qui penitùs extrahi non poterant, unà deglutiebant. Denique quia necdum cannabis ac ſerici erat uſus, avium plumis ac animalium pellibus veſtiebantur.

Po-

Poſteà verò cùm Principes doctrinâ, & virtute inclyti exurrexerunt, tunc ex invento ignis uſu habita eſt condiendorum ciborum utilitas, ex inventis formis cœperunt liquari metalla, ex luti compactione elaborari vaſa figulina, extrui ſolaria, domus, palatia, portæ, feneſtræ; carnes condiri, aſſari, coqui, torreri, vinum & acetum confici; Deinde aptari cannabis & ſericum ad texendas telas. Quæ nunc igitur fiunt ad ſuppeditanda vivis alimenta, ad juſta mortuis perſolvenda, ad cultum Spiritui deſtruenti ac producenti cæli Domino *Xam Ti* præſtandum, hæc omnia ſuam ab iſtis primis ſapientibus Inventoribus normam acceperunt.

Quæres 2. Quis finis Rituum Sinicorum in genere?

Reſpondeo 1. Sic habet Lib. Rituum tom. 4. cap. 9. *Ly yun*: Priſci Imperatores inſtituerunt Ritus ad ſequendam Cæli viam, & ad regendos naturales hominum affectus. Ideo qui eos rejicit, perit; qui eos retinet, vivit. Itaque Ritus pro ſuo principio cælum, pro ſua varietate terram, pro ſuo ordine Spiritus, pro ſua univerſalitate exequias, Ceremonias *Cy*, jaculatoriam & curulem artem, primi pilei impoſitionem, matrimonia, Regis affatum, legationes ſpectant. Hæc enim omnia viri illi doctrinâ, & virtute illuſtres juxta honeſtatis leges ordinârunt. Hinc Imperium, Regna, Familiæ habent, quo dirigantur, ac bene componantur.

Reſpondeo 2. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y*, ſic: Imperii (nempe Sinenſis) Ritus ſpectant ſui principii recordationem, Spirituum cultum, hominum concordium facultates ſeu divitias, rerum æquitatem, morum urbanitatem. Spectant autem ſui principii recordationem, ad magni faciendam ſuam originem; Spirituum cultum, ad exhbendum Superioribus honorem; hominum concordium facultates, ad ſtabiliendam populi honeſtatem; rerum æquitatem, ad ſervandam debitam inter Superiores & Inferiores ſubordinationem; morum urbanitatem, ad expellendas diſcordias. Qui his quinque Rituum generibus ritè noverit uti ad Imperii regimen, quamvis fortè futuri adhuc ſint nonnulli indociles & depravati homines, qui ipſius voluntati non obſequentur; pauciſſimi tamen ſine dubio illi erunt.

Quæres 3. Quis finis Rituum Sinicorum in variis Ceremoniis *Cy* diverſimodè nuncupatis?

Reſpondeo 1. Lib. Rit. tom. 9. cap. 28. *Chum ny yen Kiu*, ſic: Ritus, quo litatur Cælo ac Terræ, eſt ad demonſtrandam pietatem erga Spi-

Spiritum destruentem & producentem, (pietas juxta Sinas, est omnimoda cordis rectitudo.) Ritus, quo fit obsequiosa gratitudinis exhibitio, æstate & autumno erga omnes simul Majores defunctos, est ad demonstrandam pietatem erga consanguineos diversi gradûs. Ritus, quo cibi & potûs fercula apponuntur ante feretrum, est ad demonstrandam pietatem erga recenter Defunctum. Ritus, quo solemniter præsentatur caro & vinum odoriferum viro illustri adventanti, est ad demonstrandam pietatem erga hospitem.

Respondeo 2. Lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Ly yun* sic: Idcircò ad Ceremoniam *Cy* faciendam, intra conclave, vinum cæruleum, (id est aqua, qua antiquitùs, dum nondum erat vinum, utebantur) ad Borealem; vinum novum & vinum subalbum ad Australem fenestram apponitur; intra Aulam, vinum subrubrum, & ad gradus vinum defæcatum. Apponuntur pecudes, præparantur ollæ & lances; lyræ, citharæ, fistulæ, cymbalum fictile, campanulæ, tympana in suis quæque locis disponuntur; componuntur, quibus Parentans suam mentem declarat Spiritui seu Defuncto, & quibus Puer personatus Spiritum repræsentans, bene apprecatur Parentanti, verborum formulæ. Hæc autem omnia fiunt ad demittendos Spiritus, (nempe ad repræsentandos sibi Defunctos tanquam si essent præsentes, ùt alibi demonstramus) ad servandam inter Regem & Subditos æquitatem, ad testificandum inter patrem & filium amorem, ad conciliandam inter fratres seniores & juniores concordiam, & ad dirigendam inter Superiores & Inferiores subordinationem.

Quæres 4. Quis finis Rituum Sinicorum in Ceremonia *Cy* Parentum defunctorum?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 8. cap. 25. *Cy Tum* sic: Ceremonia *Cy* Parentum defunctorum, est id, quo recolitur pristina illorum alimonia, (quam nempe filius non potest ampliùs subministrare) & filialis in eos observantia continuatur. Continuare filialem observantiam, est defunctos Parentes animo fovere. Sequi autem dictamen rectæ rationis, nec naturali humanæ conditionis ordini (qui nempe quintuplex, & primus quidem est ordo amoris inter patrem & filium) adversari, est mente illos fovere. Idcircò filius obsequiosus triplicem habet modum ac normam, qua Parentibus inserviat; dum vivunt, eos alit; dum obierunt, eis justa persolvit; post justa persoluta, eis facit Ceremoniam *Cy*; in eis alendis suam morigerationem, in justis persolvendis suum luctum, in Ce-

remonia *Cy* facienda suam reverentiam, & hanc quidem statis cujusque anni temporibus patefacit. Hæc tria accurate adimplendo, filii obsequiosi munus adimplet.

Respondeo 2. Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li Ki*, sic: Ritus (colendi scilicet Parentes defunctos) sunt id, quo recordamur eorum, ex quibus nati sumus. Deinde Interpres *Chin Hao* sic ait: omnes res suam à Cælo trahunt originem, homines suam ab Avis. Quod Ritus spectant, est grates nostræ origini persolvere, nostrum principium recolere, nec unquam oblivisci eorum, ex quibus nati sumus.

Itaque quem finem, & quam originem habeant isti Ritus, ex his citatis textibus sat liquet. Nunc verò priusquàm referam Ritus particulares, quibus Sinæ colunt suos Defunctos, oportet referre diversas Ceremoniarum *Cy* species, quibus non tantùm Defunctos, sed etiam alia objecta colunt. Deinde quid de hominis anima sentiant, breviter etiam exponemus. Fusiorem verò hac de re sermonem vide in aliis Tractatibus, in quibus ago de cognitione Dei & Spirituum, de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos, & de Ethica Sinensi.

CAPUT II.

De diversis Ceremoniarum, *Cy* speciebus apud Sinas.

QUæres 1. Quid significet vox *Cy* apud Sinas? Ceremonias enim, de quibus agimus, solent sæpe exprimere Sinæ per vocem *Cy*; videamus ergo quid hæc vox *Cy* ex se significet?

Respondeo 1. Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *Cy* sic habet: ista vox *Cy*, ait magnum libri *Xu Kim* Commentarium, idem significat, ac vox *Cha*: vox *Cha* autem significat *pertingere*; id est, hominis res seu servitium pertingit ad Spiritum.

Idem Dictionarium in littera *Cha*, sic habet: Ista vox *Cha* significat *inspicere*, *discutere*, *nôsse*, *pertingere*, *examinare*, *perpendere*. Paulò pòst: vox *Cy*, ait magnum libri *Xu Kim* Commentarium, idem significat ac vox *Cha*; vox *Cha* autem significat *pertingere*; quando hominis res seu servitium pertingit, tum dicitur *Cy*.

Re-

Respondeo 2. Aliud Dictionarium dictum *Chim tsu tum* in littera *Cy*, sic: insuper ista vox *Cy*, inquit Doctor *Chim*, significat *habere aliquam communicationem*; nempe homo habet cum Spiritu communicationem. Et Dictionarium *Pien Hay*: vox *Cy*, inquit, significat *Cien* præsentare, &c.

Ex his sat patet istam vocem Sinicam *Cy* non significare idem, ac latinam *sacrificare*, aut similem; idque clariùs adhuc apparebit ex diversis Ceremoniarum *Cy* speciebus intrà enumerandis, quas promiscuè per vocem *Cy* exprimunt. Unde ista vox *Cy* est genus indifferens ad significandum vel sacrificium, vel simplicem oblationem, vel Ceremoniam civilis observantiæ. Itaque

Quæres 2. Quot sunt Ceremoniarum *Cy* species apud Sinas?

Respondeo has octo esse: 1. Quæ fit Spiritui cæli ac terræ. 2. Quæ fit quatuor anni tempestatum, solis, lunæ, stellarum, nimiæ siccitatis, nimiæ pluviæ, montium, fluminum, quatuor orbis partium Spiritibus. 3. Quæ fit Spiritui frugum ac regionis. 4. Quæ fit quinque domûs Spiritibus. 5. Quæ fit Parentibus defunctis. 6. Quæ fit Benefactoribus defunctis. 7. Quæ inter comedendum fit primis condiendi cibi ac potûs Inventoribus. 8. Quæ fit in solemnibus visitationibus ac legationibus, aliísque ejusmodi solemnitatibus adventanti hospiti.

De 1. Sic Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa*: Cremare animal & alia pretiosa in rotundo terræ aggere, istud est Ceremoniam *Cy* seu oblationem facere Cælo; tumulare animal & alia pretiosa in quadrata aggeris fossa, istud est oblationem *Cy* facere Terræ; adhibetur rubri coloris vitulus. Sed Sinenses Authores diffident inter se circa hunc modum oblationis faciendæ Cælo & Terræ. Vide lib. *Hien uen tum kao.* Videetiam tractatum de cognitione primi Entis apud Sinas Cap. 2.

De 2. Sic idem Lib. tom. 8. cap. 23. *Cy fa*: pro facienda Ceremonia *Cy* quatuor anni temporibus, tumulatur animal in altioris aggeris scrobe; pro facienda Ceremonia *Cy* frigori, excavatur fossa; calori erigitur agger, (id est, dum tempus æstivum & hibernum advenit, aut discedit;) fit Ceremonia *Cy* Soli in loco, qui vocatur regium palatium; Lunæ in scrobe, quæ vocatur nox clara; Stellis in loco, qui vocatur veneranda obscuritas; nimiæ siccitati aut nimiæ pluviæ in loco, qui vocatur venerandum suspirium; quatuor mundi plagis, & quatuor harum collateralibus partibus, in 4. fossis, & in quatuor aggeribus. Sed Sinenses

ses Authores de hoc modo oblationis seu Ceremoniæ *Cy* faciendæ istarum rerum omnium Spiritibus, etiam inter se dissident. Vide prædictum librum *Hien uen tum kao.*

Rursus idem Liber Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam Chi*, sic : facere Ceremoniam *Cy* totius Imperii celebrioribus montibus ac majoribus fluminibus, solius Imperatoris est ; Regulus verò tantùm potest Ceremoniam *Cy* facere celebrioribus montibus, ac majoribus fluminibus, quæ sunt in suo Regno ; id est, eorum Spiritibus, ùt passim explicant Sinæ.

De 3. Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa*, sic : Imperator erigit duo terræ suggesta ad faciendam Ceremoniam *Cy* Spiritui terræ ac frugum ; alterum pro omnibus sui Imperii incolis, quod dicitur primarium ; alterum pro se, seu pro sua urbe imperiali, quod dicitur imperiale. Regulus etiam erigit duo terræ suggesta ad faciendam Ceremoniam *Cy* Spiritui suæ regionis ac frugum ; alterum pro regni sui populis, quod dicitur regni suggestum ; alterum pro se, seu pro sua urbe regia, quod dicitur Reguli suggestum. Denique primarius Præfectus, seu Toparcha erigit etiam unum pro omnibus suæ toparchiæ incolis, quod dicitur speciale suggestum, seu singulariter constitutum.

De 4. Liber Rit. tom. 3. cap. 6. *Yue lim*, sic : Mense verno fit Ceremonia *Cy* cubiculi Portæ, (id est, Spiritui) .... mense æstivo, fit Foco ..... mense medio inter æstatem & autumnum, fit domûs Meditullio .... mense autumnali, fit domûs Valuis .... mense hiberno, fit domûs Viæ, (id est, Spiritui), vel juxta alios Spiritui putei.

De 5. Sic Lib. Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi* : Ceremonia *Cy*, quam Imperator, & Reguli Parentibus defunctis faciunt, *Verna* vocatur *Yo*, id est, paucitas ; *Æstiva* vocatur *Ti*, id est, ordo ; *Autumnalis* dicitur *Cham*, id est, degustatio ; hiemalis dicitur *Chim*, id est, multitudo.

De 6. Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa*, sic : Prisci illi virtute ac doctrinâ inclyti Imperatores sic faciendæ Ceremoniæ *Cy* Ritus instituerunt, ut iis qui præclara olim vivendi ac regendi præcepta tradidissent, fieret Ceremonia *Cy* ; iis qui publicæ utilitati ad profundendum usque sanguinem operam navâssent, fieret Ceremonia *Cy* ; iis qui suâ diligentiâ ac laboribus labantem Imperii statum firmâssent, fieret Ceremonia *Cy* ; iis qui magnis populorum calamitatibus opem tulissent, fieret Ceremonia *Cy* ; iis qui ingentia publica mala impediissent, fieret Ceremonia *Cy*.

Idem Lib. Rit. tom. 3. cap. 6. *Yue lim*, sic : Secundo mense verno fit

fit Ceremonia *Cy* Imperatori *Tay hao*, id est, *Fo hi*, Sinarum Conditori; & Principi *Keu Vam*, seu *Chum*, filio Imperatoris *Xao hao*. Deinde interpres *Chin hao* sic ait : Quia viri illi virtute & doctrinâ inclyti, qui Cœli legi obsequentes, verbo, & exemplo summæ perfectionis normam tradiderunt, optimè de populo in vita meriti fuerunt; ideo posteriores Imperatores tempore verno illis Ceremoniam *Cy* facere cœperunt. Eadem est ratio de aliis quatuor Imperatoribus ac Spiritibus, id est, Imperii Principibus, quibus juxta quatuor anni tempestates fiebat etiam Ceremonia *Cy*; scilicet in ejusdem libri eodem cap. sic : Secundo mense æstatis fit Ceremonia *Cy* Imperatori *Yen ti*, id est *Xin num*, & Spiritui seu defuncto Principi *Cho yum*, alio nomine *Lie*, filio Imperatoris *Chuen hio*.

Mense medio inter æstatem & autumnum, fit Ceremonia *Cy* Imperatori *Hoam ti*, & Spiritui seu Principi *Heu tu*, alio nomine *Cho yum*, suprà jam dicto.

Secundo mense autumni, fit Ceremonia *Cy Xao hao*, & Spiritui seu Principi *Jo xeu*, alio nomine *Kay*, filio Imperatoris *Xao hao*.

Secundo mense hiemis, fit Ceremonia *Cy* Imperatori *Chuen hio*, & Spiritui seu defuncto Principi *Hiuen mim*, alio nomine *Sieu*, filio Imperatoris *Xao hao*.

De 7. Lib. Rit. tom. 1. cap. 1. *Kio li xam*, sic : Herus in mensa prior invitat hospitem ad faciendam Ceremoniam *Cy*; sic autem fit : quod priùs infertur, de eo priùs fit Ceremonia *Cy*; juxta successivum ferculorum ordinem peragitur Ceremonia. Tum ibi Interpres *Chin hao* : prisci, inquit, ut Principium, à quo res inceperunt, non obliviscerentur, in quavis refectione ad singula escarum fercula desumebant tantillum cibi, & illud in vacuo vase supra mensam posito deponebant ad grates primis condiendarum epularum Authoribus persolvendas; & hoc vocabant *Cy* .... Prisci, inquit Doctor *Chu hi*, solebant præsentare vel deponere, finicè *Cy*, vinum in terra (nempe scyphum vini, vel fortè etiam vinum effundendo in terram), & escas in disco; ideóque lignea aderat, quam replebant, lanx; ac expletis epulis illa auferebatur.

De 8. Lib. Rit. tom. 10. cap. 45. *Hiam yn* sic :

1. Præsentare vel humi deponere (finicè *Cy*) escas ab hero datas, & vinum ab eodem datum, istud est magnificare dantis munus. Admovere dentibus pulmonem, istud est degustare dantis munus. Admovere vinum ori, istud est consummare dantis munus. Tum ibi Interpres *Chin*

 hao:

hao: præsentare vel deponere, finicè *Cy*, escas, inquit Doctor *Chim*, ab Hero datas: id est, Herus eas offert hospiti; hospes mox ad stoream accedens, oblatum carnis condîtæ ferculum super eam humi deponit. Præsentare vel deponere, finicè *Cy*, vinum: id est, hospes postquàm humi deposuit escas, etiam deponit & vinum. Paulò pòst sic: hic autem ritus est id, quo hospes magni facit, ac reveretur offerentis Heri munus. Postquàm hospes præsentavit vel deposuit, finicè *Cy*, vinum, exurgens accipit pulmonem de ferculo & dentibus admovet, quo videatur degustare offerentis Heri munus; & ori vinum applicat, quo videatur illud consummare. Præsentare vel deponere, finicè *Cy*, vinum, est quædam vocis appellatio, qua significat homo se illud nón bibisse. Idcircò istæ voces præsentare vel deponere, finicè *Cy*, vinum & escas, simul in textu junguntur, ut demonstretur quanti offerentis munus ac rem æstimet hospes, quantúmque eam revereatur.

2. Lib. *Kia li*, seu Rit. Domesticorum tom. 2. Agens de solemnitate, quâ primus pileus Adolescenti imponitur, sic: Ceremoniarum Præfectus, fuso in craterem vino, egreditur cubiculo, & stat à sinistris Adolescentis primo pileo donati. Præses Ceremoniæ, factâ priùs pileato Adolescenti reverentiâ, accedit ad storeæ humi stratæ dextram partem, stánsque Austrum versùs, accipit à Magistro Ceremoniarum vini craterem; Deinde, ad aliam festivitatis stoream apud Adolescentem pergit, versóque ad Boream vultu, his verbis ei bene apprecatur: cùm vinum sit purum, & escæ ferculum bene odoriferum, ista accipe, & præsenta vel depone, finicè *Cy*, ad stabiliendam vitæ tuæ honestatem, & ad excipiendam Cæli prosperitatem; totâ vitâ, quamvis senex, nè illud obliviscaris. Adolescens post unam leviorem, & binam profundiorem reverentiam, ascendit stoream, versóque ad Austrum vultu excipit vini craterem; & Præses ad suum locum rediens, ternam similem ei reverentiam restituit. Deinde Ceremoniarum Magister allatum è cubiculo escæ ferculum præsentat Adolescenti, qui dextrâ manu exceptum escæ ferculum, flexis genibus facit Ceremoniam *Cy*, deponendo illud humi ante stoream, & lævâ manu tantillum vini in terram effundendo. Tum surgens recedit ad cornu storeæ; flexísque genibus tantillum reliqui vini ebibit, seu potiùs vini craterem ori tantùm applicat. Quo facto surgit; reddit craterem Ceremoniarum Præfecto; escæ ferculum famuli auferunt; Adolescens ternâ corporis inclinatione gratias agit Præsidi, qui illam eodem modo ei restituit.

Idem

Idem Lib. *Kia li*, seu Rituum Domesticorum, impressus Anno 1701. tom. 8. artic. *Kiu hiam tsa y*, id est, variæ urbanitates inter ejusdem loci incolas vel concives, sic ait de mutuis visitationibus: Herus assurgens accipit vini scyphum, versóque ad Ortum vultu, (scilicet ad hospitem externum illic extantem) flexis genibus facit Ceremoniam *Cy*; id est, tantillum vini in terram effundit; dein surgit; & postquam stando illud bibit, scyphum restituit Magistro Ceremoniarum. Dein statim ibidem narrat, quomodo externus hospes eodem modo resalutet hospitem Herum, sive ei repropinet.

3. Lib. *Xu kim*, seu Annal. imperialium tom. 5. cap. *Lo kao*, sic Princeps *Cheu kum* loquitur: Imperator, (nempe *Chim vam*) venire jussit, qui mandata sua populo exponeret; simúlque jussit ad recreandos meos labores, duabus vini ex milio nigro & herba fragrantissima *Cham* confecti amphoris me donari dicendo: hoc est mundi cordis munus honorificum, sinicè *Tn*; reverenter illud excipe. Ego non ausus statim istud vinũ bibere, cum eo feci Ceremoniã *Cy* defunctis Parentibus *Ven vam* & *Vu vam*. Tum Interpres *Tsay xin*, sic: ista vox *Tn*, id est, *Honor*; nimirum eo ritu, quo Spiritus seu defuncti Parentes coluntur, voluit Imperator colere Principem *Cheu kum*. Vinum, inquit Doctor *Su*, ex nigro milio confectum, herbísque odoriferis *To* & *Cham* commixtum, seu illarum succo temperatum, est id, quo fit Ceremonia *Quon*; (id est, vinum odoriferum præsentatur, vel in terram effunditur.) Inter omnes, qui in parentali Majorum Aula fiunt Ritus, nullus est celebrior ac honoratior, quàm istius vini Ceremonia *Quon*. Ratio autem cur Imperator venire jusserit, qui mandata sua populo præteritæ imperiali Familiæ *Tn* exponeret, & duabus vini odoriferi amphoris labores Principis *Cheu kum* recrearet, dicendo: *Hoc est mundi cordis munus honorificum: illud reverenter excipe*; fuit, quia eo ritu, quo Spiritus intelligentes seu defuncti Parentes coluntur, voluit Principem *Cheu kum* colere. Prisci enim cùm habebant hospitem omni exceptione majorem, hoc præsentandi, sinicè *Quon*, ritu illum honorabant; vinum purum aut clarum præsentabatur; sed quamvis homo sitiret, illud non bibebat; Deinde caro exsiccata præsentabatur: sed quamvis homo esuriret, illam non comedebat; ideò in isto præsentandi, seu *Quon* Ritu, etiam aderat carnei ferculi munus. Ecquæ sanè major veneratio adhiberi potest? Numquid igitur iste Ritus est sicut parentalis Ceremonia *Cy*?

4. Lib.

4. Lib. Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi* sic: Imperatores Familiæ *Hia* solebant uti Ritu *Hiam*. Ritus *Hiam*, inquit Interpres *Chin hao*, est ille, in quo præsentatur carnis ferculum, sed illa non comeditur; impletur scyphus vino, sed illud non bibitur; statur, & non sedetur; juxta variam personæ nobilioris, aut ignobilioris conditionem, majori aut minori Ceremoniæ iteratæ numero Ritus absolvitur. Verumtamen hic Ritus dumtaxat erga quatuor hominum genera servatur. 1. Erga Regulos ad curiam Imperialem accedentes. 2. Erga Imperatoris consanguineos, ac Regulorum Legatos. 3. Erga externorum Principum legatos. 4. Erga prætorianorum militum Duces, Senes, & Orphanos; sed hi ad satietatem usque, vino recreabantur.

5. Lib. Rit. tom. 9. cap. 30. *Fam ki*, sic: Ad honorem alicui exhibendum, inquit Confucius, vasa, quæ in Ceremonia *Cy* usui sunt, adhibentur.... Quocircà Sapiens nec parcitate negligit, nec prodigalitate Ritus perdit. Hinc in Ritu, in quo solemniter hospiti caro offertur, (ut jam dixi, Lib. Rit. tom. 3. cap. 5.) si Herus ipsemet eam offerat, statim hospes acceptam humi deponit, sinicè *Cy*; si ipsemet non offerat, hospes non deponit. Deinde Interpres *Chin hao* sic: omnibus illis discis, ollis & aliis vasis, quæ Ceremoniæ *Cy* inservire solent, hospites inter se utuntur ad repræsentandum mutuum suum honorem. Jam verò tam ille, qui parcitate negligit, quàm qui prodigalitate perdit Ritus, non potest dici honorem exhibere. Dum Herus ipsemet carnis ferculum præsentat hospiti, censetur hospitem honore afficere; Deinde dum hospes facit Ceremoniam *Cy*, illud humi deponendo, censetur Herum honore afficere.

Quæres 3. Quænam sit distinctio ac diversitas inter has omnes Ceremoniarum *Cy* species?

Respondeo: hæc diversitas maximè petitur tum à diversitate appellationis, tum à diversitate Rituum, tum à diversitate finis. Itaque de singulis hæc sint:

1. De diversitate appellationis.

Lib. *Xu kim*, seu Annal. Imperial. tom. 1, cap. *Xun tien*, sic interpres *Tsay xin*: Ceremonia *Cy*, quæ fit cæli Domino *Xam Ti* ob causam specialem, dicitur specificatio, sinicè *Luy*; quæ quatuor anni tempestatum, frigoris, caloris, solis, lunæ, stellarum, siccitatis, pluviæ venerandis Spiritibus, dicitur interior animi sensus, sinicè *Yn*; quæ fit celebriorum montium ac majorum fluminum Spiritibus, dicitur prospectus, sinicè *Vam*;

Vam; quæ fit reliquis omnibus Spiritibus, dicitur universitas, sinicè *Pien.*

Debere autem intelligi solis, lunæ, stellarum *spiritus*, non solem, lunam, stellas &c. id ipsum expressè dicit Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *Yum*, citans librum *Tso chuen*, & qua occasione fiat illis Ceremonia *Cy*.

Sic etiam Liber Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi*, ait: Ceremonia *Cy*, quam Imperator in bellum profecturus facit cæli Domino *Xam Ti*, dicitur *specificatio*; quam facit terræ seu regionis Spiritui, dicitur *convenientia*; quam facit Majoribus defunctis in parentali ipsorum Aula, dicitur *accessus*.

Omitto alias ejusmodi Ceremoniarum *Cy* diversas appellationes; nonnullas adhuc vide infrà in decursu.

2. De diversitate Rituum.

Liber Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem*, sic: Imperator ad faciendam Cælo Ceremoniam *Cy*, adhibet speciale & unicum animal, scilicet tenellum vitulum; ad eam faciendam regionis ac frugum spiritui, adhibet bovem, ovem, & porcum. Dum Imperator reguli Regnum invisit, Regulus ei offert unicum dumtaxat tenellum vitulum; contrà dum Regulus invisit Imperatorem, Imperator ei offert bovem, ovem, porcum, seu donat.

Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem*, iterum sic: Si vitulo destinato ad offerendum cæli Domino, id est, *Xam Ti*, infausti aliquid acciderit, tunc accipiatur bos destinatus ad præsentandum Principi *Heu cie*, Imperialis Familiæ *Cheu* conditori. Vitulus destinatus cæli Domino debet per trimestre spatium in nitido ac separato caulæ loco ali; destinatus autem Principi *Heu cie*, quilibet bos potest adhiberi; idque fit ut cultus, qui cæli Spiritui exhibetur, distinguatur à cultu, qui hominis defuncti animæ redditur.

Idem Lib. Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi*, sic: Vitulus qui litatur Cælo ac Terræ (nempe cæli ac terræ Spiritui), ita debet esse tener, ut ei tantùm incipiant pullulare cornua instar bombycini glomeris, aut castaneæ. Vitulus autem, seu bos, qui Majoribus defunctis in parentali eorum Aula præsentatur, habet cornua quatuor digitis alta. Denique bos, qui illustribus hospitibus offertur, cornua habet uno cubito alta.

Idem Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki* sic: Imperator dum visitat Reguli Regnum, Regulus ei unicum dumtaxat tenellum vitulum offert. Dum vero Reguli se invicem invisunt, sibi præsentant vinum odoriferum ex herbis *Yo* & *Cham* confectum, sed carnis ferculum non offertur.

Primarius tamen Præfectus dum advenit agendo legationem, solemne carnis exsiccatæ & conditæ ferculum ei præsentat Regulus. Tum interpres *Chin hao* ibidem hæc addit: Dum Imperator Cælo sacrificat, unico tantùm vitulo utitur; dúmque visitat Reguli Regnum, Regulus etiam unicum tantùm ei offert vitulum, quia nempe eo Ritu Imperatorem veneratur, quo Cælum Imperator.

Idem Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem*, sic: Dum Imperator ad faciendam Ceremoniam *Cy*, seu ad litandum Cælo vadit, currus, quo vehitur, est ligneus, seu ex simplici ligno confectus, vulgaris, sine ornatu, & equi perparcè exornati. In hoc Cæli litamine, primùm offertur sanguis, deinde caro cruda, postea caro semicocta, denique caro penitus cocta. In Ceremonia *Cy*, quæ fit omnibus simul Imperatorum Majoribus defunctis, primùm sanguis unà cum carne cruda, posteà caro semicocta, posteà caro penitus cocta præsentatur. In Ceremonia *Cy*, quæ fit Spiritui regionis ac frugum, atque quinque domûs Spiritibus, primùm sanguis, caro cruda, & caro semicocta simul offertur, posteà caro penitus cocta. In Ceremonia *Cy*, quæ fit aliis Inferioris ordinis Spiritibus, tantùm semel vinum, & caro cocta præsentatur. Maxima veneratio non consistit in ciborum ac saporum degustatione; sed quod plurimi fit, est suffitûs, & odoriferi aëris fragrantia.

Quando aliquis Regulus invisens Imperatorem tractatur ut hospes, Imperator vinum ex nigro milio, & ex herbis odoriferis *Yo* & *Cham* (alio nomine *Kin hiam*) confectum ei præsentat, vel in terram effundit, sinicè *Quon*. Quod autem in hac vini præsentandi vel effundendi Ceremonia spectatur, est ille odorifer suffitus. Deinde in magno præsentandi Ritu, id quod maximi fit, est illud odoriferum carnis ferculum gingibere & cinnamo bene condîtæ. Deinde Interpres *Chin hao* sic: magnus præsentandi Ritus est ille, quo Imperator honorificè tractat Regulos: dum hic peragitur, quamvis apponatur bovis integri ferculum, priùs tamen ad stoream humi apponitur odoriferum carnis gingibere & cinnamo benè condîtæ ferculum; posteà reliqua fercula. Idcircò dicitur maximi fieri carnis gingibere & cinnamo condîtæ ferculum. Hinc patet istum Ritum non fieri ad sapores & cupedias degustandas.

Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *Quon*, sic: In parentali Majorum defunctorum Aula (faciendo nempe Ceremoniam *Cy*) adhibetur Ceremonia *Quon*; dum autem litatur magno Spiritui cæli ac terræ, illa non adhibetur.

Sunt

Sunt adhuc multæ aliæ istorum Rituum diversitates, quas omitto, nè sim longior; uti & in decursu rursus videre aliquas licebit.

3. De diversitate finis.

Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki*, sic: Litare supremo cæli Domino, seu *Xam Ti* in suburbano terræ aggere, est testari summam venerationem; parentare Majoribus defunctis in parentali eorum Aula, est testari summam pietatem; Defunctis exequias juxta Ritus persolvere, est testari summam fidelitatem; lugubres vestes, & instrumenta pro sepultura procurare, est testari etiam summam pietatem; illustribus hospitibus munera serica offerre, est testari summam æquitatem.

Idem Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem*, sic: Ceremoniæ *Cy*, aliæ fiunt ad rogandum (nempe cæli Dominum, seu *Xam Ti*, vel alios Spiritus. Vide ibi Interpretes, in tract. 2. de Philosophia Sinica,) aliæ ad gratias agendas, aliæ ad expellenda mala, rogando nempe cæli Dominum, vel Spiritus; non enim ibi agitur de Ceremonia *Cy* Parentum Defunctorum; sed Ceremoniarum *Cy* species tantùm generaliter ibi referuntur.

Idem Lib. Rit. tom. 1. cap. 1. *Kio li xam* sic: Quoad Ceremoniam *Cy*, alia est quæ spectat postulationem, alia quæ spectat externæ pompæ ornatum, alia quæ spectat escarum exhibitionem, alia quæ spectat cordis tranquillitatem.

Denique idem Lib. tom. 8. cap. 25. *Cy tum* sic: In Ceremonia *Cy* hæ decem rationes elucent: norma cultûs erga Spiritus, æquitas inter Regem & Subditum, ordo inter Patrem & filium, discrimen inter nobilem & ignobilem, diversitas inter propinquum & extraneum, retributio inter dignitates & merita, differentia inter maritum & uxorem, æqualitas inter administrationem & negotia, subordinatio inter seniorem & juniorem, connexio inter Superiorem & Inferiorem.

Quæres 4. Quibus licitæ essent variæ istæ Ceremoniarum *Cy* species?

Respondeo. Lib. Rit. tom. 1. cap. 2. *Kio li hia*, sic: Imperator in anni decursu facit Ceremoniam *Cy* Cælo ac Terræ, (id est, Spiritui) quatuor mundi plagis, montibus ac fluminibus, quinque domûs Spiritibus. Regulus in anni decursu facit Ceremoniam *Cy*, tantùm montibus ac fluminibus suæ ditionis, & quinque domûs Spiritibus. Primarius Præfectus, seu Toparcha in anni decursu facit Ceremoniam *Cy*, tantùm quin-

que domûs Spiritibus. Denique Doctor, seu vir litteratus tantùm facit Ceremoniam *Cy* Majoribus suis defunctis.

Idem Liber Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi*, sic: Filius secundariæ uxoris, nisi in absentia legitimi Primogeniti, non potest (nempe solemniter) facere Ceremoniam *Cy* Majoribus suis defunctis. Ibidem: vir Doctoratu, seu litterarum laurea donatus potest habere unam Parentalem domum in qua Majoribus suis defunctis faciat Ceremoniam *Cy*; sed vir plebeius, cùm non liceat ipsi habere Parentalem ejusmodi domum, potest tantùm in sua domo facere Ceremoniam *Cy* Parentibus suis defunctis.

Ex his diversitas omnium istarum Ceremoniarum *Cy* sat patet. Nunc quid de Anima nostra ac Spiritu iidem Sinæ sentiant, videamus; pleniorem tamen de his sermonem vide in Philosophia Sinica.

CAPUT III.

De Mente Sinarum circa hominis Animam, & Spiritum.

QUæres 1. Quid libri Sinarum antiqui, & classici dicant de hominis Anima?

Respondeo 1. Lib. Annal. Imperial. tom. 3. cap. *Tam kao*, sic: Maximus ille cæli Dominus homini infundit internam naturæ rectitudinem. Qui isti rectitudini obsequitur, hic habet naturam prout omnibus hominibus communis est.

2. Idem Lib. Annal. Imper. tom. 1. cap. *Ta yu mo* sic: Hominis seu humanæ cupiditatis cor, (nempe appetitus sensitivus) valde periculosum est: viæ seu rectæ rationis cor, (nempe appetitus rationalis) valde subtile.

3. Lib. Annal. Imperial. tom. cap. *Tay kia xam* sic: Prædecessor tuus (scilicet Imperator *Chim tam*, tuus Avus) semper ante oculos habebat lucidam illam Cæli legem.

4. Lib. Carminum tom. *Ta ya*, odâ *Chim min* sic: In omnibus istis populis, quos Cælum producit, inest & materia & forma.

5. Idem Lib. Carminum *Ta ya*, odâ *Ven vam*, agens de defuncto Principe *Ven vam*, sic: sursum existens Princeps *Ven uam*, proh! quàm ful-

fulgidè in cælo resplendet! .... sive descendat, sive ascendat, semper est à dextris, aut sinistris cæli Domini seu *Xam Ti*.

6. Lib.*Te kim*, seu mutationum ac product.tom.3.part. *Hi tsu xam*, art. 5. sic : quod nec quiete *Yn*, nec motu *Yam* potest comprehendi, id dicitur Spiritus.

7. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y*, sic : Ego quidem, inquit discipulus *Tsay ngo* interrogans Magistrum suum Confucium, sæpius audivi Spiritus destruentis & producentis nomen, sed necdum satis scio, quid illud significet, vel quid sit Spiritus destruens ac producens. Sic illi Confucius : Aura vitalis est clara Spiritûs producentis manifestatio, corpus organizatum, est clara Spiritûs destruentis manifestatio ; ultima autem doctrinæ meta consistit in conjunctione Spiritûs producentis & destruentis. Quicumque vivit, debet mori ; mortuus in terram revertitur, & dicitur Spiritus destruens ; id est, à Spiritu abeunte destructus ; cadaver tumulo illatum postquam putrefactum est, resolvitur in terram agrestem ; vitalis autem illius aura sursum se prodens resplendet, reverentiámque ac timorem simul inspirat.

8. Liber *Ta hio*, seu Adultorum doctrina art. 1. sic : Ratio doctrinæ Adultorum consistit in reparando luminosæ suæ facultatis primitiva claritate.

9. Lib. *Chum yum*, seu immutabile Medium art. 1. sic : Cæli lex est natura, scilicet in actu primo.

10. Menc. Lib. 2. cap. 7. *Cin sin xam* sic : Quod homo sine arte & discendi labore potest agere, id ex naturali ejus agendi seu volendi facultate provenit ; quod sine studio & meditandi cura potest scire, id ex naturali ejus intelligendi facultate proficiscitur. Omitto alia multa ejusmodi.

Quæres 2. Quomodo hos originales librorum antiquorum textus explicent sinici Interpretes recentiores?

Respondeo. Ad 1. sic Interpres *Tsay xin* : Interna naturæ rationalis rectitudo est illa lex, quam Cælum infundit, & quæ complectitur pietatatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ, veritatis rationem, (nempe semen harum virtutum) nec ad ullam partem sive dexteram, sive sinistram declinat. Id autem quod dicitur natura, est illa Cæli lex, quam homo recipit, complectens congenitam pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ, veritatis rationem. Quatenus interna illa rectitudo infunditur,

 ad

ad nullam partem declinat; quatenus naturali illius ductui homo obtemperat, tunc habet naturam, ut est omnibus hominibus communis.

Ad 2. Idem Interpres *Tsay xin*, sic: Cor seu animus, est hominis intelligentia & advertentia prout in medio illius præsidet ac dominatur, rebúsque omnibus advenientibus occurrit ac respondet. Dum in res corporeas ac sensu perceptibiles erumpit, tunc vocatur hominis seu humanæ cupiditatis cor; dum in res rationi & æquitati consentaneas tendit, tunc vocatur viæ seu rectæ rationis cor (nempe appetitus rationalis, & sensitivus;) quia autem humanæ cupiditatis cor facilè pravitatem, difficilè honestatem amat, ideò dicitur periculosum; & quia rectæ rationis cor difficilè luce, facilè tenebris potitur, ideò dicitur subtile.

Ad 3. Idem Interpres *Tsay xin*, sic: Ista vox *lucida Cæli lex*, id est, excelsi Cæli resplendens Ratio, quæ nobis legem imponit. Illa prout est in Cælo, dicitur lucida lex; prout est in homine, dicitur lucida facultas, nempe rationalis facultas.

Ad 4. Sic Interpres *Cham kiu chim*, in Lib. Memcii: Ista vox *materia* significat corpus, ac rem sensibilem; ista vox *forma* significat rationem, & agendi viam.... Cælum in producendo homine postquam illi indidit aëream seu sensibilem materiam ad formandum corpus, posteà infundit rationem ad perficiendam naturam.

Ad 5. Interpres *Chu hi* sic: Hic articulus asserit defuncti Principis *Ven vam* Spiritum sursum existere & in cælo resplendere... quia Principis *Ven vam* Spiritus in cælo existens sive descendat, sive ascendat, est semper à dextris vel sinistris supremi cæli Domini sinicè *Xam Ti*; ideò nepotes largo prosperitatis beneficio, Imperium possident.

Ad 6. Interpres *Chim* sic: Quod nec repræsentatione inquiri, nec instrumentis, seu re materiali apprehendi potest, id dicitur Spiritus.... si velis Spiritum videre, non potes; si scire, non potes; doctrina mutationum ac productionum non est ejus substantia. Cùm igitur non habeatur ejus proprium nomen, nomine adscititio vocatur Spiritus; Spiritus omnes res exornat ac transcendit.

Ad 7. Sic Interpres *Cy*: Id quo hominis corpus se movet & operatur, est aura vitalis; quando abiit istius auræ vitalis intelligentia ad motum *Yam* pertinens, dicitur Spiritus, sinicè *Xin*; hæcque perfecta ac pura intelligentia, quatenus non potest celari, dicitur clara Spiritûs producentis manifestatio. Deinde id, quo hominis corpus organizatur ac for-

formatur, est vita sensitiva; quando abiit istius vitæ sensitivæ intelligentia ad quietem *Yn* pertinens, dicitur Spiritus destruens, sinicè *Quey*; ex quo hæc perfecta intelligentia exit, dicitur clara Spiritûs destruentis manifestatio; nempe Anima prout est & rationalis, & sensitiva.

Ad 8. Sic Interpres *Cham kiu chim*: Clara illa facultas, est humani cordis ab omni specie sensibili vacui, spiritualis, intelligentis, clari, capacis omnium rerum rationes comprehendendi, & omnibus rebus occurrendi ipsamet substantia seu essentia; sed quia crescente ætate nostrum illud cor seu animus, vel ob ingenii hebetudinem, vel ob rerum mundanarum cupiditates sæpius obscuratur, ideò oportet diligens studium adhibere ad tollendam illam ingenii hebetudinem, & expellendas istas pravas rerum mundanarum cupiditates, ut possit primitiva cordis nostri claritas restaurari, sicut offuscatus speculi splendor poliendo restauratur.

Ad 9. Sic idem Interpres *Cham kiu chim*: Nullus est homo qui naturam (nempe rationalem) non habeat: sed unde hoc naturæ nomen? Cælum in producendo homine postquam illi aërem, seu materiam sensibilem indidit ad formandum corpus, eidem infundit rationem ad perficiendam naturam. Hæc ratio, prout in Cælo est, dicitur Principium primum seu magnum, communicativum, directivum, perfectivum; prout in homine est, dicitur pietas, æquitas, honestas, intelligentia congenita, seu inchoata; hujus rationis infusio & receptio est instar legis ac præcepti à Cælo impositi. Idcircò dicitur: natura est Cæli lex, scilicet in actu primo.

Ad 10. Idem Interpres *Cham kiu chim* sic: Omnis homo scit quidem se habere naturam, sed sæpe nescit eam à Cælo ortam.

Quæres 3 Quid alii Authores dicant de hominis Anima & de Spiritu?

Respondeo 1. Lib. Brevis naturæ & rationis expositio tom. 3. art. *Quey xin* sic: quod attinet ad explicationem Spiritûs producentis & destruentis, inquit Doctor *Cham*, si hunc conjunctim spectes; dum advenit nec sensu percipitur, vocatur *Xin*, Spiritus producens seu veniens; dum abit nec ampliùs revertitur, vocatur *Quey*, Spiritus destruens seu abiens. Si eum divisim spectes; quæcumque cæli, terræ, montium, fluminum, ventorum, fulminum vitalis aura, cum qua mutuam habere potest homo communicationem, (nempe quicumque harum rerum Spiritus) vocatur *Xin*, Spiritus producens seu veniens, vel se communicans. Majores defuncti parentalis domûs vocantur *Quey*, Spiritus qui abivit, vel

vel Spiritus destruens, id est, à Spiritu abeunte nec revertente destructi. Deinde si spectes hominis, & aliarum rerum naturam (nempe naturantem,) dum ex materiæ & formæ conjunctione producuntur, vocatur Spiritus producens; dum destruuntur ac pereunt, vocatur Spiritus destruens. Denique si solius hominis naturam spectes; Animæ aura seu vita spiritualis dicitur Spiritus producens; corporis vita sensitiva dicitur Spiritus destruens. Quidquid in libris Classicis vocatur Spiritus producens ac destruens, ad his species reducitur.

Idem sic Interpres *Hoam*: post multos à morte annos quamvis Avorum, aut Majorum vitalis aura sit dissipata, causa tamen vitalis auræ eorum nunquam cessat agere cælum inter & terram, seu in mundo; deinde quamvis perfecta Avorum vitæ species, non ampliùs persistat; illa tamē perfecta vitæ species, quam ego accepi, est perfecta Avorum vitæ forma ac species. Jam verò quando ego utens illâ perfectâ vitæ specie quam accepi, tracto cum causa Avorum vitalis auræ ac Spiritûs, tunc ex utroque illo vitalis auræ concursu Majores defuncti fiunt magnificâ specie velut spectabiles.

2. Lib. *Su xu mum yn* tom. 3. in lib. Immutab. Medii art. 16. sic: Spiritus destruens ac producens, inquit Doctor *Chim*, est Cæli ac Terræ opera, rerúmque Effectoris vestigia, (sumpta nempe per metonymiam, effectus pro causa, ut patet ex ipso textu, & interpretatione hîc, & alibi); Doctor *Chim* veritus, nè litterarum Alumni Spiritum destruentem ac producentem quærerent in quadam recondita & abstrusa patria, ideò dixit *Cæli, ac terræ opera, rerúmque Effectoris vestigia. Vestigia*, inquam, quia Spiritus destruens ac producens per hæc nonnihil se prodit visui & & auditui nostro; proprius enim & orignalis hujus loci sensus est, quòd Spiritus destruens ac producens nec videri, nec audiri possit; sed ita corpora penetret, ut ab eis non separetur. Ista verba *Cæli ac terræ opera* idem significant, ac hæc, *rerum Effectoris vestigia.* Hæc verò, *rerum Effector*, indicant cælum ac terram, ut id, in quo ipse agit. Et paulò pòst: Jam verò illud cælum omnia tegens, terra omnia sustinens, sol & luna omnia illustrans, quatuor anni tempestates sibi invicem succedentes, ventorum, nubium, imbrium, roris vicissitudines: hæc omnia possunt & visu & auditu percipi, ideóque non possunt dici Spiritus producens & destruens; sed sunt tantùm ejus vestigia & effecta. Spiritus verò producens & destruens est illa vitalis auræ vis motrix iens & rediens, quæ in illis tacitè & arcanè agit. Quî sanè ille possit aut visu, aut auditu per-

percipi? Ceterùm quamvis Spiritus destruens ac producens non possit visu, & auditu percipi, in ipsis tamen rebus eum vides; qui enim per conjunctionem quietis *Yn*, & motûs *Yam* dat rebus incipere, est ille Spiritus se extendens & se communicans; qui dat rebus desinere, est ille Spiritus se colligens & rediens.

3. Lib. *Chum yum* art. 16. Interpres *Chu hi* sic: Spiritus destruens ac producens, inquit Doctor *Cham*, est naturale duplicis vitalis auræ Principium. Ego autem arbitror istud sic explicandum: si Spiritus destruens ac producens exprimatur per duplicem vitalem auram, Spiritus destruens erit quietis *Yn* Intelligentia; Spiritus producens, erit motûs *Yam* Intelligentia. Si autem per unicam vitalem auram: Spiritus veniens, & se extendens seu se communicans, erit Spiritus producens; Spiritus rediens & se colligens, erit Spiritus destruens; reapse verò una & eadem res, sive unum & idem Principium.

Quæres 4. Quid significent istæ voces *Yn*, & *Yam*?

Respondeo: Lib. Brevis naturæ & rationis expositio tom. 3. art. *Yn yam* sic: Istæ voces *Yn yam*, inquit Doctor *Chim*, sunt tantùm quidã productionis & defitionis termini, seu modi; reíq; nondum in suo statu positæ ratio.

Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 8. art. *Yn yam*, sic: Istæ voces *Yn yam*, inquit Doctor *Chu hi*, nihil aliud indicant, quam vitalem auram, sinicè *Ki*; dum vitalis aura ex quiete transit ad motum, dicitur *Yam*; dum ex motu transit ad compositionem nempe quietem, dicitur *Yn*: unde *Yn*, & *Yam* non sunt verè duæ res, quæ sibi invicem opponuntur. Idem art. *Tay kie* sic: motus & quies, dicitur vitalis aura.

Ex his, & aliis patet, quod istæ voces *Yn* & *Yam*, apud Sinas passim & penè ubique adhibitæ, generalissimè loquendo, nihil aliud significent, quàm quietem & motum; vel potiùs transcendentalem relationem & quietis ad motum, & motûs ad queitem. Vide plura in Philosophia Sinica, Tractatu 1. de cognitione primi Entis apud Sinas.

Præterea istas duas voces *Yn* & *Yam* applicant Sinæ ad innumera alia: v. gr. materia est *Yn*, forma *Yam*; nox est *Yn*, dies *Yam*; luna est *Yn*, sol *Yam*; modus agendi terræ & ipsa terra est *Yn*; modus agendi cæli & ipsum cælum est *Yam*; femina est *Yn*, masculus *Yam*; numerus affixus symbolis seu notis ænigmaticis libri *Ye kim*, par, est *Yn*; impar, est *Yam*; anni decursus, à solstitio æstivo usque ad hibernum, est *Yn*; ab hiberno usque ad æstivum, est *Yam*; homo mortuus est *Yn*, vivus *Yam*, &c.

D Sed

Sed hæc pauca sufficiant ad noscendam utcumque Sinarum mentem circa naturam Spiritûs, & animæ. Antiqui videntur clariùs de vera illius essentia, & immortalitate loqui; recentiores paulò implexiùs; imò hi videntur asserere animam hominis unà cum corpore perire; quamvis id possit intelligi de sola vitæ dissipatione, non de Spiritûs seu Animæ Ratione; nam Ratio apud illos semper persistit.

CAPUT IV.

De funebribus Ritibus à morte hominis usque ad triennium, quo durat luctus funeralis.

QUæres 1. Quinam Ritus instante hominis morte?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 8. cap. 22. *Sam ta ki*, sic: Ægro graviter ægrotante tota domus diligenter verratur (nempe ob hospites adventuros,) & deponatur æger in Borealem fenestram capite ad Orientem vergente.

2. Lib. *Kia li*, seu Rit. Domestic. tom. 4. *Sam li* sic: Imminente morte, ægri lectus in mediam Aulam transferatur, si nempe sit Mater, aut Pater honoratior; si sit alius, in medium suum conclave; (capite, addit glossator *Yam*, ad Orientem verso; id enim est vivificantem aërem excipere.) Prohibeatur omnis tumultus & clamor. Femina non debet mori inter manus viri, nec vir inter manus feminæ; scribatur testamentum; novæ vestes ægro superponantur; globulo gossipii inter os & nares posito exploretur, utrùm expiraverit. Ubi expiravit, è lecto deponatur super stratam humi stoream, & cooperiatur &c.

3. Lib. Rit. tom. 1. cap. 1. *Kio li xam*, sic: Mortui corpus dum est adhuc super lectum, dicitur *Xi*, id est, expositum ad tempus: dum est intra feretrum, dicitur *Kieu*, id est, diuturnum. Tum Interpres *Chin hao*: antiquitùs ubi quis extremis morbi doloribus premebatur, antequam expiraret, eum deponebant super terram; postquam expirârat, eum reponebant super lectum; id autem ideò faciebant, quia omnis homo initium vitæ trahit à terra; hinc ægrum morti vicinum iterum reponebant, ubi vivere inceperat, exoptando ut à morte evaderet; atque ita hominis vitam magnifaciebant.

Quæ-

Quæres 2. Quinam Ritus ſtatim poſt mortem?

Reſpondeo 1. *De Defuncti inclamatione* ſic Lib. Rit. tom. 1. cap. 2. *Kio li bia* : Ad ſignificandum Imperatorem eſſe mortuum, dicitur: *Imperii Rector occidit*; ad inclamandum eum, ut redeat, dicitur: *Cæli fili, redi.* Tum Interpres *Chin bao*: dum homo moritur, corpus & Spiritus à ſe invicem disjunguntur; olim accipiebant Defuncti veſtes & aſcendebant in ſuperiorem domûs partem, faciéque ad Boream verſâ, inclamabant Defuncti animam ut in mortuum corpus rediret; adeò ſiquidem optabant ut ille reviviſceret; ideò id vocabatur, *redi.*

Idem Lib. Rit. tom. 8. cap. 22. *Sam ta ki*, ſic: Ad ſubeundam ſuperiorem domûs partem, ſcalæ apponuntur à ſylvarum, & montium Præfectis, ſi adſint; ſin minùs: à muſicis, & comædis.... ab orientali domûs angulo ſubitur, & in medio domûs faſtigio facie ad Boream verſa ter inclamatur. Tum Defuncti veſtes collectæ deorſum projiciuntur, & ab earum Præfecto recipiuntur. Ad quem locum Interpres *Chin bao* ſic: ter inclamatur, inquit, id eſt, prima inclamatio fit ſurſum versùs, optando, ut anima è cælo redeat; 2. deorſum versùs, optando ut anima è terra redeat; 3. medium versùs, optando ut anima è quatuor mundi partibus cælum inter & terram redeat. De hac terna inclamatione agit etiam Lib. *Kia li* tom. 4. *Sam li.*

Idem Lib. Rit. tom. 2. cap. 3. *Tan kum xam*: Imperator defunctus inclamatur ut redeat, in anteriori & poſteriori tum propinquorum Majorum, tum Familiæ conditoris Parentalis palatii parte; in Regiæ Aulæ porta, in quatuor mundi plagis extra Urbis portam. Dein Interpres *Chin bao* refert Authorem *Ma* ſic loquentem: Imperator defunctus inclamabatur in his locis ad redeundum, quia vitalis animæ aura poſt obitum nondum ab his locis, quibus in vita aſſueſacta erat, diſceſſerat. Sed hujus Authoris mens non videtur cum aliis ſat cohærere.

Motivum inclamandi Defunctum, ſic habet idem Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tam kum bia*: inclamare Defunctum ut redeat, eſt modus, quo omnis amoris affectus exhauritur; ſic nempe inclamando, habet homo adhuc iſtum animum, quo ægri ſanitatem ardebat, dum pro ejus recuperatione offerebat dona & preces. Proſpicere utrùm redeat ex tenebroſa regione, eſt modus quærendi defunctorum Spiritus; vertere faciem ad ſeptentrionem, eſt modus quærendi regionem tenebroſam. Deinde Interpres *Tuen* ſic: tempore morbi offerebat dona & preces quinque domûs

Spiritibus pro ægri recuperanda valetudine, quod non potuit obtinere. Post mortem, dum Defunctum inclamat, habet adhuc istum animum, quo tunc offerebat ista dona & preces &c. Regio tenebrosa, est locus Spirituum, seu Defunctorum &c. Septentrio enim, est tenebrarum locus.

2. *De unione, vel alia re* ori Defuncti impositâ, sic Lib. Rit. tom. 2. cap. 3. *Tam kum xam*: post Defuncti inclamationem ad redeundum, bacillus instar bifidæ fuscinulæ recurvæ imponatur ori defuncti, ita ut claudi non possit; & pedes super tabulam colligentur, ita ut non incurventur. Deinde oriza, & unio intra Defuncti os imponatur.

Motivum hujus rei faciendæ, sic idem Lib. tom. 2. cap. 3.: Ideò oriza, & unio ori Defuncti imponitur, quia sufferri non potest, ut illud sit vacuum; non tamen hoc fit, ut habeat Defunctus aliquid ad comedendum; sed ut os re nitida & honesta impleatur.

Lib. *Pe hu tum* tom. 2. art. ultimo, sic: Quare Defuncti ori oriza immittitur?

Respondeo: Quia homo dum vivit, comedit; nunc cùm sit mortuus, nolunt ut ejus os sit vacuum; ideóque ista oriza ori immittitur. Dein sic pergit: Quare unio, aut alia res pretiosa? Respondeo id fieri ad cadaveris ornamentum.

Eumdem Ritum refert Lib. *Kia li*, tom. 4. qui tamen loco unionis, seu gemmæ, ponit tres quadrantes vel aliud pretiosum.

3. *De tabella lignea paulò altiori, & serica Fascia Defuncti representativa, ac earum motivo* sic:

Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia*: Tabella lignea, dicta *Chum*, paulò altior, servat easdem leges ac Tabella dicta *Chu* paulò brevior, quæ post sepultum cadaver erigitur. Imperatores Familiæ *Yn* seu *Xam*, Tabellam *Chum*, erectâ breviori Tabellâ *Chu*, appendebant; Imperatores Familiæ *Cheu*, eam auferebant. Dein Interpres *Chin hao* sic: Pro Doctore defuncto, seu litterarum laureâ donato, inquit libri Rituum antiquus commentarius, Tabella *Chum* sit alta tribus cubitis; hæc statim post mortem erigitur ad fulciendum seu repræsentandum Defunctum; quamvis autem non sit illa, quæ post sepultum cadaver erigitur, eamdem tamen, quàm illa, legem servat. Ritus ab Imperatoribus Familiæ *Yn* præscripti volebant, ut sepulto cadavere, illa appenderetur in Aula, in qua feretrum jacuerat; Imperatores autem Familiæ *Cheu*, sepulto

to cadavere, factâ Ceremoniâ *Tu* seu tranquillitatis, de quâ infrà, & erectâ breviori Tabellâ *Chu*, illam auferebant & sepeliebant.

Idem Interpres in alio loco ejusdem libri Rit. tom. 7. cap. 20. *Tu ki xam*, ubi dicitur Tabella illa *Chum* sepeliri, sic: Factâ Ceremonia *Tu*, Tabella *Chum* sepeliebatur ad orientalem partem extra Parentalis Majorum domûs portam.

Lib. *Kia li*, seu Rituum Domestic. tom. 4. sic: Mortualis thronus, sinicè *Lim tso*, hoc modo statuatur: ante cadaver erigatur aliquod fulcrum coopertum tapete, vel panno serico; ante fulcrum exponatur sedes, supra sedem tapes, supra tapetem vestis, supra vestem serica animæ Fascia. Ante sedem autem apponatur mensa, supra mensam odorum vas cum sua capsula, vini cyathus & poculum, potûs *Cha* vasculum, fructuum lances, dapum disci, & similia; famuli manè, & vespere deferant pectinem, & aquæ pelvim ad lavandum, escarúmque fercula non secus ac vitæ tempore.

Posteà quid significet ista animæ Fascia, sic explicat: Nunc ista animæ Fascia fit ex longo albi serici volumine; conficitur instar cinguli in nodum collecti, quod ejusdem cordis nexum vulgò vocant; à parte superiori promicat caput; à duobus lateribus aures erumpunt; à parte inferiori dependent reliqua ad duos pedes constituendos. Cùm ergo habeat cum hominis figurâ aliquam similitudinem, videtur posse adhiberi, ut per illam fulciatur seu repræsentetur Defunctus, vel Spiritus.

Deinde inferiùs sic habetur: Doctor *Von kum* asserit animæ Fasciam adhiberi loco Tabellæ *Chum*, de qua suprà; Doctor vero *Chu hi* putat illam temporum circumstantiis adaptari, nec opus esse antiquitati nimis inhærere.

4. De Labaro, in quo Defuncti nomen scribitur, sic Lib. Rit. tom. 6. cap. 15. *Sam so siao ki:* facta inclamatione Defuncti ad redeundum, ejus nomen scribitur in signo memorativo.

Dein idem Liber Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia* sic: Signum memorativum, id est, Defuncti labarum; quia enim amor non patitur filium separari à defuncto Patre, ideò in isto labaro inscribit ejus nomen, ut semper patris recordari possit, & recordando eum amare, amando revereri, atque ita filii obsequiosi munus explere. Tum Interpres *Chin hao*: Illud labarum sic inscribendum præscribit libri Urbanitatum, & Rituum Caput *Su sam li*: *Defuncti N. æternum monimentum.* Exponitur primò

 su-

supra gradus Aulæ ad occidentalem partem; deinde erecta altiori Tabella *Chum*, apud illam exponitur. Denique postquam feretrum pice & bitumine bene illitum est atque confectum, ad ejus orientale latus erigitur.

Labarum illud, inquit interpretatio Doctoris *Kia*, pro Doctore seu viro litterato, sit longum tribus cubitis; pro Toparcha seu Primario Præfecto, quinque; pro Regulo, septem; pro Imperatore, novem.

Lib. *Kia li*, seu Rit. Domestic. tom. 4. de hoc labaro idem refert; nisi quod illud priùs ponendum asserat ad dexteram throni mortualis partem, deinde ad feretrum, ut antè.

5. De Consanguineis & Amicis, qui statim veniunt in domum Defuncti pro luctu, sic: Lib. *Kia li* tom. 4. priùs præmittendo nihil esse faciendum quod ad *Fo* Sectam, seu ad Bonziorum res idololatricas spectet, sic ait: veniens ad luctum procedit ante cadaver, ac plorat; iénsque ante mortualem thronum (jam explicatum) præsentat odores, sive incendit suffitum. Dein facta una leviori ac bina profundiori reverentia sistit gemitum; si adsit Herus, verso ad illum vultu: quomodo, inquit N. sic mortuus est? Herus nihil respondens, profundam usque ad terram exhibet reverentiam, & uterque gemitum edens discedit. Si loco Heri adsit funeris Præses: Orphanus N., inquit, hoc infausto casu afflictus, plurimùm tibi obstrictus est ob consolationem, quam tua visitatione illi affers; quia autem nondum funebres vestes potuit habere absolutas, ideò non ausus exire ac comparere, me jussit tibi plurimas agere gratias; móxque binam illi exhibet profundam reverentiam.

Deinde, ut ibidem habetur, præparatur lectus cum suis storeis, super quem cadaver imponitur ac cooperitur, & in medio Aulæ statuitur. Altero pòst die, linteaminibus involutum feretro imponitur, ad cujus partem orientalem collocatur Defuncti lectus cum suis sipariis, storeis, pulvinari, vestibus, ocreis, calceis, fulcro ad impediendum ventum, perinde ac dum vivebat.

Quæres 5. Quinam sint alii Ritus usque ad cadaveris sepulturam, quæ solet in China diu differri?

Respondeo 1. *De cibo & potu, qui bis quotidie* usque ad sepulturam apud cadaver apponitur, Lib. Rit. tom. 2. cap. 3. *Tan kum xam*, sic ait *Cem tsu* Confucii discipulus: statim atque aliquis obiit, escæ, quæ in penu superfuerunt, ei apponuntur. Tum Interpres *Chin hao*: simul atque, inquit, aliquis obiit, carnis exsiccatæ ac conditæ ferculum cum vino no-

vo

vo apponitur ad cadaveris lectum in parte orientali, & in altitudine Defuncti humeros adæquante, ita ut Spiritus seu Defunctus habeat quo nitatur seu repræsentetur. Quæ superfuit, dum adhuc viveret, in penu caro exsiccata & condîta, ei apponitur. (Olim Sinæ semper utebantur ista carne exsiccata, cui condimentum addebant.)

Lib. *Kia li* tom. 4. idem sic dicit: Famuli carnem exsiccatam & condîtam super mensam ad orientale cadaveris latus in humerorum altitudine apponant.

Deinde de eodem cibo & potu, qui singulis diebus manè, & vespere usque ad sepulturam apponitur, (diem autem sepulturæ præscribit liber Rituum tom. 3. cap. 5. *Vam chi*, pro Plebeiis, pro Litteratis seu Doctoribus, & pro Præfectis tertio post obitum mense; pro Regulis, quinto; pro Imperatore, septimo. Pro Patre & Matre defunctis, funebris vestis depositionem quoad omnes præscribit, tertio post obitum anno) sic dicit idem Lib. *Kia li*, tom. 5. in principio: singulis diebus summo mane famuli deferant aquæ pelvim, linteum, pectinem ad latus lecti Defuncti (priùs explicati;) & omnia, quibus Defunctus in vita utebatur, apponant; deinde carnem exsiccatam ac condîtam, aut alia escarum fercula, orizam, potum *Cha*, vinum, paxillos comestorios super mensam ante mortualem thronum (supra explicatum) apponant.

Posteà tota domus conveniat; & unusquisque stet in suo ordine; fiat planctus communis. Exponatur Defuncti lectus; extrahatur serica animæ Fascia & exponatur supra sedem. Lector seu Ceremoniarum Præfectus lavet manus; cremet odores; infundat vinum & potum *Cha*; fiat bina profunda reverentia, & Ritus peractus est. Vespere idem servetur, famulis matutini temporis fercula auferentibus, & nova afferentibus, sericáque Fascia exponatur in Defuncti lecto, apud quem calcei & ocreæ apponantur, sublatis pectine, & pelvi. (Quod attinet ad istam sericam animæ Fasciam, non memini me eam vidisse.)

Motivum apponendi hæc cibaria, sic habet Lib. Rit. tom. 2. cap. 3. *Tam kum xam*: Manè exorto sole, & vespere occidente sole, mensa cum suis ferculis Defuncto apponatur. Tum Interpres *Chin hao*: hæc fercula, inquit Doctor *Fam*, manè ad repræsentandam matutinam, vespere ad repræsentandam vespertinam refectionem apponuntur; quia filius obsequiosus inservit defunctis Parentibus, sicut vivis inserviebat.

Idem Lib. *Kia li*, tom. 4. sic: Quia manè, & vespere quies *Yn* & motus *Yam*,

rum, seu nox & dies se invicem excipiunt; ideò istæ matutinæ & vespertinæ appositiones fiunt ad cogitandum de Parentibus.

Idem Lib. in fine ejusdem tomi sic: Quia Spiritus, inquit Doctor *Chim*, figura & sensibili specie carent, ideò vespere & manè dapes apponuntur ad illos fulciendos seu repræsentandos, (nempe tamquam si adhuc mensæ, ut in vita, accumberent &c.) Vide plura in alio Tractatu de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos.

2. *De hospitibus venientibus* in Defuncti domum ad luctum demonstrandum, & funus cohonestandum Lib. *Kia li*, tom. 5. sic: Quisquis ad luctûs domum vadit, induatur veste funebri, id est, albâ. Ubi appulsus est, verso ad mortualem thronum vultu, stans edat planctum. Edito planctu accedens ante mortualem thronum præbeat odoramenta; leviorem unam, ac binam profundiorem usque ad terram corporis inflexionem exhibeat; tum Hero dicat: eheu! insperatus adversæ sortis casus! his dictis, unam leviorem, binámque profundiorem ei exhibeat reverentiam. Gui Herus: Mea peccata sunt gravissima; hoc malum Parenti invexerunt; (si non sit Pater vel Mater, omittantur illa verba) singulariter tibi, Domine, sum obstrictus ob solatium, quod mihi tantopere afflicto afferre voluisti. Quibus dictis, binam pariter usque ad terram corporis inflexionem ei exhibeat. Hoc peracto hospes recedat, & Herus in funeris conclave lugendo redeat. Funeris Præses supplens Heri vices, hospitem deducat, vel tantisper subsistenti potum *Cha* propinet.

Quando verò is, qui sic venit ad luctum, affert munera, v. gr. odoramenta, folia potûs *Cha*, candelas, vinum, fructus, pecuniam, serica volumina; sic solemniori pompa Ritus peragitur: Herus factus certior de adventu hospitis, cremat odoramenta, accendit candelas, sternit stoream vel tapetem, & omnes alii vestitu funebri induti, & in suo quique ordine constituti, planctum edunt, expectantes hospitis adventum; interim funeris præses it ei obviam. Lector, seu Ceremoniarum Præfectus, præmissâ reverentiâ eum deducit ante mortualem thronum. Hîc hospes plangit, reverentiam exhibet, cremat odoramenta, flexis genibus vinum in terram effundit, vini craterem ibidem reponit; (sæpe tamen Sinæ non effundunt vinum, sed tantùm præsentant seu apponunt vini scyphum.) Lector seu Ceremoniarum Præfectus etiam flectit genua, & recitat hanc munerum schedulam ad latus hospitis: hoc anno N. mense N. die N. indignus consanguineus N. istud mundum vinum, & ista varia vul-

vulgarium escarum præsentia fercula reverenter appono ad faciendam Ceremoniam *Cy* consanguinei N. sandapilæ, vel cadaveri in sandapila posito; id penè gratum habebis. Hoc lecto, hospes surgit, plangit, reverentiam exhibet leviorem; paulisper retrocedit, ac tres, ut suprà, corporis inflexiones facit. Crematur dicta munerum schedula. Quo peracto paucula verba, ut suprà, hospitem inter & Herum miscentur, & abitur.

Motivum horum munerum offerendorum sic habet Lib. *Pe hu tum*; seu communis litteratorum sensus tom. 2. art. ultimo *Pum hum*: Qui novit aliquem obiisse, vestimenta & linteamina affert ad testandum suum affectum, quo cupit adjuvare viventem in persolvendis Defuncto exequiis, in recolendis beneficiis, in morte cohonestanda. Deinde sic: Quid est offerre funeralia munera? Respondeo: est *adjuvare*; nimirum unus alterum adjuvat, dando id, quo alter caret & eget.

Idem Lib. Rit. tom. 1, cap. 1. *Kio li xam* sic: Hospes veniens ad exequias, qui non potest funerale aliquod munus offerre, non debet de earum sumptibus interrogare. Tum Interpres *Chin hao*: sericis pannis, & pecuniâ adjuvare alium ad faciendam exequiarum solemnitatem, id vocatur *Fu*, id est, funerale munus seu subsidium.

Idem Lib. Rit. 2. cap. 3. *Tan kum xam*: Funeralium munerum, inquit discipulus *Cem tsu*, legere schedulam, id non est Ritus antiquus. Tum Interpres *Chin hao*: Currus & equi oblati in funere, vocantur *Fum*; Munus *Fum*, id est, quo adjuvatur mortuariæ domûs Herus ad celebrandas exequias.

3. De Ceremonia Cy *Spiritui loci sepulcralis facienda antequam sepeliatur cadaver*, ibidem liber *Kia li* tom. 5. refert ejus Ritum, sic: Nempe ad dexteram loci sepulcralis erigitur signum Spiritûs repræsentativum, seu ejus nomine inscriptum, ante quod cremantur odoramenta, offertur vinum & in terram effunditur; apponuntur aliquot escarum fercula; recitatur Ceremoniæ *Cy* formula, qua rogatur Spiritus ut istud sepulcrum ab omni malo custodiat, cum variis corporis inclinationibus. Sed cùm ipsemet glossator *Xin yam* ibidem asserat istum Ritum non esse antiquum, cùmque referat ad Spiritum fictitium & Idololatricum, non est opus plura ad eum rejiciendum addere.

4. De petra sepulcrali, quæ paulò ante sepulturam sculpitur, uti & de variis sculptis figuris v. gr. curru, equis, famulis varia escarum fercu-

la in manu gestantibus, præteritæque vitæ famulatum ac usum referentibus; de variis vasis, & instrumentis ad funeris & sepulchri ornatum spectantibus, ibidem agit Lib. *Kia li* tom. 5.

Horum motivum, sic habet Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum hia*: Sub Imperatoribus Familiæ *Yn* cœpit feretro superaddi exornatum tegmen; sub Imperatoribus Familiæ *Cheu* cœpit feretrum variis ornamentis, instar muri, vallari, & erigi figuræ, instar ventilabri, efformatæ, finicè *Xa*. Tum Interpres *Chin hao*: Hæ figuræ, aliæ sunt quædam securis species; aliæ velut duæ claves sibi invicem oppositæ; aliæ tenuissimæ nubis formam referentes; atque harum numerus major aut minor correspondet majori aut minori conditionis gradui.

Hinc ait idem liber Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki*: Pro Imperatore eriguntur octo; pro Regulo, sex; pro Primario Præfecto seu Toparcha, quatuor; major harum numerus denotat majorem honorem. Vide etiam eumdem librum Rit. tom. 8. cap. 22. In fine pro his, & ejusmodi feretri & sepulchri ornamentis.

Item Lib. *Kia li* tom. 5. Circa medium, & finem sic: Fit ex cannabina tela labarum longum tribus cubitis, ad dirigendam procedentis sandapilæ viam. Dum in via occurrunt loca altiora, decliviora, abrupta, illius aspectu dirigitur funeris via.

5. De lignea Tabella dicta Chu, de qua jam suprà, sic Lib. *Kia li* tom. 5. habet: Tunc præparatur lignea Tabella *Chu*, cujus forma in ejusdem libri tomo 1. sic descripta est: Fit alta uno cubito, & duobus digitis; larga tribus digitis; profunda uno digito, & duabus decimis illius partibus; ejus apex seu pars superior est rotunda; inseritur cistulæ oblongæ in sua basi constitutæ. De hac Tabella vide iterum infrà post peractam sepulturam.

6. De valedictione Majorum defunctorum, ibidem Lib. *Kia li* tom. 5. sic: Filius Parentans die sepulturam præcedenti, delaturus Defuncti feretrum in Parentalem Majorum domum ut illis valedicat, sicut in vita, dum quis peregrè abit, valedicit Superioribus; coram mortuali throno, seu serica animæ Fascia faciat istius rei denuntiationem; ac posteà feretrum funerali pompa illuc deferatur, vel loco feretri, tantùm deferatur serica animæ Fascia in cistula posita, coram qua in parentali Majorum domo fiat communis planctus, & referatur in pristinum locum.

Hujus Ceremoniæ motivum sic habet Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum hia*:

kia: deferre Defuncti feretrum ad invisendam Parentalem Majorum defunctorum Aulam, istud est obsecundare filiali Defuncti erga suos Parentes defunctos observantiæ. Ille siquidem dolens se domo avelli, priusquam discedat, Parentalem Majorum domum visitat. Tum Interpres *Chin hao*: Filius obsequiosus dum vult domo egredi, priùs Parentes præmonet; redux domum, statim coram illis se sistit, hoc est filii munus. Jam verò cùm Defuncti feretrum jam jam tumulandum, defertur in Parentalem Majorum defunctorum domum, certè istud est obsequi filiali Defuncti erga Parentes obsequiosi desiderio; & si volumus scrutari Defuncti animum, haud dubiè à domo paterna, (si nempe sensum & vitam haberet) ægrè avelleretur, cúmque cogeretur jam jam abire nunquam ampliùs reversurus, profectò optaret adire Parentalem Majorum defunctorum Aulam & illis ultimum valedicere.

7. *De apparatu ante funebrem sepulturæ pompam* sic idem Lib. *Kia li* tom. 5.: Die sepulturam præcedenti, feretrum transferatur in anteriorem domûs Aulam vel locum, dicente priùs Lectore flexis genibus ante feretrum: *tuâ veniâ, te transferemus in anteriorem Aulam*. Ante illud exponatur mortualis thronus; apponantur escæ; fiat planctus communis. Deinde consanguinei, & amici familiares adveniunt, munera offerunt, cremant odoramenta, tantillum vini in terram effundunt, & posteà vini scyphus deponitur supra mortualem thronum. Munerum schedula, ut suprà, recitatur, fit planctus, dein profundæ corporis inflexiones, crematur schedula, abitur.

Circa vesperam ejusdem diei, convenit tota domus; fit planctus; cibi & potûs fercula apponuntur; cremantur odoramenta; aptatur feretrum ad illud efferendum, & solitæ corporis inclinationes.

Die sequenti, seu ipso die sepulturæ, feretrum fulcris gestatoriis imponitur, & rursus, ut pridie, fit planctus; cibus, potus, odoramenta, corporis inflexiones adhibentur, dicendo ad valedicendum: cùm jam mortuali curru, sinicè *Lim kia*, insederis, vade in domum tenebrosam; viatoria munera sunt apposita; in æternum vale. Serica animæ Fascia præparatur ad eam deferendam in sella gestatoria; cremantur odoramenta; omnes adstant, etiam mulieres capite & facie velatâ ad sequendum funus. Ii qui illud non sequentur, feretro valedicunt cum solitis corporis inclinationibus.

8. *De funebri sepulturæ pompa* sic idem Lib. *Kia li* tom. 5.: Primò

 pro-

procedunt illi qui theatraliter vestiti & umbone obtecti gestant quamdam hastæ speciem, quâ quatuor sepulchri angulos percutiunt. De istis theatraliter vestitis hominibus, sinicè *Siam sam*, hoc præscribit liber *Ta mim hoei tien* tomo 99.: Mandarinis quarti ordinis & superioris liceat habere quatuor, scilicet istiusmodi homines. Mandarinis septimi & superioris ordinis usque ad quartum, liceat tantùm habere duos. Octavi autem & Inferioris ordinis Mandarinis non licet ullum habere.

Deinde sequuntur ii qui illas figuras, (de quibus suprà num.4.) scilicet equos, currus &c. gestant. Posteà labarum, inquo scriptum est Defuncti nomen, (suprà Quæres 2. num. 4.) post quod sequitur serica animæ Fascia; post hanc procedit labarum viæ directivum, & figuræ, sinicè *Xa*, de quibus suprà num. 4. Denique mortuarius cadaveris curulis, ponè quem sequuntur consanguinei lugentes, viri à sinistris, feminæ à dextris; sed hæ intra portatile tentorium inclusæ. Deinde reliqui suo ordine comitantur. Si amici, vel consanguinei præparaverint locum in via ad quiescendum, seu sistendum feretrum; in eo sistitur & dapes præsentantur seu apponuntur. Ubi appulsum est ad sepulchrum, rursus præsentantur cibi & potus; fit communis omnium consanguineorum planctus. Hospites & amici discedunt. Demittitur feretrum in sepulchrum, capite ad Boream vergente; funeris Dominus seu Herus parentans ad latus feretri deponit aliquot diversi coloris serica volumina; pecunia, aut aliæ res pretiosæ non debent sepulchro imponi. Impositâ calce & terrâ clauditur sepulchrum.

De his sericis voluminibus sic dicit Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia*: Ubi feretrum in sepulchrum demissum est, funeris Dominus offert munera: Tum Interpres *Chin hao*: quando feretrum pervenit ad portam Urbis, (in China mortui sepeliuntur extra Urbes) tunc Regulus mittit suum primum Ministrum offerre cærulei & subrubri coloris serica volumina; & ubi feretrum in fossam demissum fuit, tum illa Defuncto offert seu deponit in loco sepulturæ.

Quod attinet ad Ritum sepeliendi cadaveris capite ad Boream verso, sic habet Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia*: sepelire mortuum ad borealem Urbis Regiæ partem, capite in Boream verso, iste semper fuit universalis trium primorum Imperiorum *Hia*, *Xam*, *Cheu* Ritus; quia nempe in tenebrosam regionem vadit. Tum Interpres *Chin hao*: quando cadaver adhuc domi remanet, exponitur capite ad Austrum verso; quia filius

lius parentans nondum sustinet tractare Parentem suum sicut Spiritum vel defunctum, (id est, Defuncti Ritibus;) quando autem sepultus est, tunc ultimum mortis ac funeris opus peractum est; ideò sepeliri mortuum capite ad Boream vergente, semper hæc fuit universalis trium primorum Imperiorum consuetudo, seu Ritus. Regio Australis est clara & lucida; Borealis obscura & tenebrosa; dum dicitur: in tenebrosam regionem vadit, explicatur ratio cur capite ad Boream vergente disponatur. Quod attinet ad varia vasa & instrumenta, quibus cibi & alia allata fuerant, idem Liber *Kia li* tom. 5. dicit ea deponi in loco commodo ad latus sepulchri.

Deinde de his escis in loco sepulturæ appositis, sic glossator *Tam* ibidem: quamvis, ut ait Doctor *Chu hi*, prisci illas escas apponerent ad demonstrandum se non posse pati, ut mortui sui Parentes à se tractarentur tamquam mortui; reverà tamen sunt res inutiles, imò cùm caro statim corrumpatur, putrefiat, & generet vermes, est quid adhuc magis incongruum. Ceterùm ut ista possent congruere, existimarem esse imminuenda, & ex singulis speciebus tantillum dumtaxat apponendum; v. gr. si aliquot grana ex singulis frugum speciebus; aliquot frusta ex carne siccatâ & conditâ relinquantur ut antiquus Ritus penè conservetur, id certè mihi videtur rationi non repugnare.

9. *De Ceremonia* Cy *Spiritui loci sepulchralis rursus facienda* ut suprà num. 3. statim post sepultum cadaver, idem Liber *Kia li* tom. 5. agit; sed de illa jam suprà dixi. Liber quidem Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia*, sic refert quemdam Ritum antiquum: Sepulto cadavere filius Parentans jubet unum Præfectum appositâ parvâ mensâ fultrice & storeâ, (olim Sinæ super storeas humi sedebant, & parvulæ mensæ incumbebant & illâ fulciebantur,) deponere seu præsentare dapum fercula ad sinistrum latus sepulchri. Tum Interpres *Chin hao*: Filius parentans jubet unum Præfectum apponere dapum fercula ad colendum terræ Spiritum, ut illi Parentis cadaver commendet. Verùm hic Spiritus, de quo Ritus antiquus loquitur, non erat iste Spiritus recens dictus *Tu ti*, ex tali Familia ortus, ut ait Lib. *Kia li*; nempe fictitius, & idololatricus. Quis scit, annon forsan illi antiqui Sinæ vero Spiritui loci tutelari commendarent Defunctum?

Quæres 4. Quinam Ritus sint à sepulto cadavere, usque ad finitum triennium, quo durat funebris Parentum luctus?

Respondeo 1. *De erectione, & inscriptione Parentalis Tabellæ dictæ Chu* sic Lib. *Kia li* tom. 5.: Cadavere in sepulchrum illato, mox famuli mensam collocant ante mortualem thronum. Lector seu Ceremoniarum Præfectus cum scriba lavat manus: ille ex arcula educit ligneam Tabellam (de quâ jam suprà), eámque super mensam reclinat; hic in excavata interiori bifidæ Tabellæ facie scribit hæc verba: *Imperante Familia N. Præfecti N. cognomine N. vulgari nomine N. honorario nomine N. primogeniti*, (vel secundo, tertiogeniti &c.) *filii defuncti seu Spiritûs signum*, sinicè *Xin chu*. Deinde super exteriorem bifidæ Tabellæ faciem, hæc scribit: *præclari Patris Præfecti N. à morte cognominati N. domûs Domini defuncti seu Spiritûs signum*. Postea Lector accipit illam Tabellam *Chu*, & collocat in mortuali throno; aufertque sericam animæ Fasciam; cremat odoramenta seu bacillos odoriferos; infundit vinum; flexis genibus recitat hanc schedulam: hoc Imperatoris N. anno N. mense N. die N. orbus filius N. palam audet Præfecto N. à morte cognominato N. domûs seu Familiæ Domino hæc dicere: Quum cadavere in sepulchrum illato, & Spiritu (nempe alludendo ad illum antiquum Spiritum personatum, seu puerum Actorem, qui tunc domum deducebatur, eíque fiebat Ceremonia *Yu*, ut jam dicetur,) in domûs Aulam reverso, sit confectum Defuncti signum, humiliter exopto, ut Mens veneranda vetere relicto, (nempe signo, sinicè *Chum*,) se novo (nempe *Chu*,) accommodet. Istud est representatio, istud est fulcimen, (nempe alludendo ad mensam parvulam cui in vita humi sedendo homo innitebatur.) Posteà surgit, & in suum locum redux solitas exhibet corporis inclinationis. Scribæ aguntur gratiæ. Tabella *Chu* imponitur fulcro gestatorio, & retro illam extat arcula sericæ Fasciæ, ac comitantibus consanguineis domum refertur, ablato mortuali throno. Ubi demum appulsum est, Lector illam in mortuali throno deponit, & fit communis omnium planctus.

2. *De Ceremonia* Yu, *quæ fit in domo Defuncti ipso die sepulturæ*, sic Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia*: Filius parentans sepulto cadavere, domum regrediatur, & in meridie faciat Ceremoniam *Yu* seu tranquillitatis. Pro hac tranquillitatis Ceremonia constituatur actor, seu Puellus personatus representans Defunctum, & apponatur ei mensa parva, cui incumbat, & duplex storea sternatur ad sedendum. Tum Interpres *Chin hao*: antequam cadaver sit sepultum, Defuncto præstatur cultus ac servitium utendo viventis Ritibus; postquam verò sepultum est, tunc Parentis vi-

visibilis species abscondita est; ideò pro tranquillitatis Ceremonia constituitur Actor personatus ad repræsentandum Spiritum, seu Defunctum.

Idem Lib. Rit. ibidem sic: Lector, seu Ceremoniarum Magister à loco sepulchri domum statim redeat, (scilicet ante funeris Herum,) & reverenter excipiat, domúmque introducat puellum personatum, cui tranquillitatis Ceremonia facienda est. Tum Interpres *Chin hao* sic: Sepulturâ peractâ excipiebatur Spiritus, (scilicet personatus,) domum reducebatur, & in domûs Aula, in qua jacuerat feretrum, meridie fiebat ei Ceremonia *Cy* ad eum tranquillandum (nempe à filio parentante;) si Defunctus erat masculus, masculus agebat Spiritum personatum; si fœmina, fœmina. Personatus autem ille Spiritus si velimus explicare quid nunc sit, est ipsa Tabella *Chu*. Cùm enim visibilis Parentis species non ampliùs cerneretur, animus parentantis nihil habebat, in quo suum scopum figeret, ac hæreret; idcircò constituebatur ille Spiritus personatus & jubebatur Defuncti vestes induere, ut obsequiosi filii animus haberet aliquid, in quo hæreret ac suum scopum figeret.

Quamvis triennio quo durat luctus, constitueretur diversus Spiritus personatus pro diversitate masculi aut fœminæ Defunctæ, & diversa mensula ad incumbendum apponeretur; posteà tamen quando in parentali Parentum defunctorum Aula fiebat Ceremonia *Cy*, una & eadem pro masculis & fœminis apponebatur mensula fultrix, unúsque & idem Spiritus personatus constituebatur.

Hanc Ceremoniam *Tu* sic Lib. *Kia li* tom. 6. fusiùs exponit: Famuli apponunt vasa & utensilia, nimirum pelvim & lintea; in medio Aulæ mensam cum odoramentis & candelis & fasciculo herbarum *Mao* arenæ immixtarum, (hæ tamen herbæ, ut audivi, nunc non adhibentur, vel forsan rarissimè,) ante mortualem thronum in quo collocata est lignea Tabella *Chu*; deinde aliam mensam quadruplici ordine ferculorum cibi & potûs instructam; sed secundus ordo relinquitur vacuus, ut, dum fiet præsentandi Ritus, escis præsentatis repleatur. Insuper aliam adhuc mensam apponunt ad imponendum ferculum pecudis integræ; (sed hæc pecus integra raró, & in solemnissimis tantùm Ceremoniis adhibetur. Imò, inquit idem Liber ibidem, si assumatur mensa, vel mensæ, quibus Defunctus in vita utebatur, aptissimè patefiet mens inserviendi Defuncto, sicut vivo.

Posteà accedit tota domus; fit planctus communis ante ligneam Tabel-

bellam *Chu*, quam Lector locat in suo throno seu exponit; lavantur manus, cremantur odoramenta ante mortualem thronum, in quo est lignea Tabella; una levior & bina profundior fit reverentia; demittitur Spiritus, id est, Herus seu filius parentans flexis genibus exceptum à famulis vini scyphum totum effundit super fasciculum herbarum *Mao*; (ordinariè effunditur vel in subjectam pelvim vel in terram, aut tantùm præsentatur,) & solitas facit corporis inflexiones; & ubi recessit ad suum locum, easdem omnes simul faciunt. Tum Lector sive Ceremoniarum Præfectus in vacuo mensæ supradictæ secundo ordine apponit dapum fercula, v. gr. pisces, carnes, orizam, farinam &c. Herus ante mortualem thronum, flexis genibus ter tantillum vini effundit super prædictum herbarum fasciculum, & ante eumdem deponit scyphum famulus. Deinde omnibus in genua provolutis, Lector etiam flexis genibus hanc Ceremoniæ schedulam recitat: hoc Imperatoris N. anno N. mense N. die N. orbus filius audet Defuncto Patri (vel Matri,) Præfecto N. vel Defuncti Intelligentiæ hæc palam dicere: diebus & mensibus assiduè currentibus tandem advenit tempus primum tranquillitatis Ritum peragendi. Manè surgendo & vespere decumbendo præ tui mœrore, & desiderio quietus esse numquam potui; nunc igitur omni reverentia cum hac capra, seu ove pecude munda, cum his variis escarum ferculis, cum hoc puro vino solatii obsequium tibi gemebundus exhibeo. Id penè gratum habebis. Quo Lecto surgunt, planctum edunt, & solitas faciunt corporis inclinationes.

Deinde iterum bis, ut priùs, vinum præsentatur, tantillum in terram effundendo, & scyphum deponendo. Posteà infuso in scyphum vino ante ligneam Tabellam, omnes egrediuntur; portáque clausâ, vel vimineo velo demisso, tantisper quiescunt. Posteà Lector tussienti similis ter lugubrem oris sonitum edit, finicè *Y hin.* (*Y*, id est, vox suspirantis; *Hin* id est, vox significans desiderium quo optaretur, ut res præsentatas haberet gratas Defunctus, aut spectaret;) aperitur porta, infunditur potus *Cha*, Lector dicit opus alimoniæ esse peractum; valedicitur Spiritui seu Defuncto, nempe Tabellæ; fit planctus, & solitæ reverentiæ. Ceremoniæ schedula crematur. Tabella & fercula colliguntur; & abitur. Lector sericam animæ Fasciam in terra defodit. Vespere & manè non ampliùs apponuntur epulæ, sed tantùm fit planctus; uti ait idem Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. Duobus autem sequentibus alternatis diebus, repetitur prædicta tranquillitatis Ceremonia *Yu*; & alternato uno die

die, fit altera Ceremonia penè eodem modo & penè iisdem verbis ad terminandum diurnum planctum, persistente tamen adhuc matutino, & vespertino.

Motivum hujus Ceremoniæ tranquillitatis, sic habet Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum hia*: Filius parentans ipso sepulturæ die facit tranquillitatis Ceremoniam, quia nè uno quidem die potest à Patre separari. Et paulò infrà: non potest nè uno quidem die ferre, ut Pater non habeat, quo redux repræsentetur.

De ista terna Lectoris lugubri voce, idem, quod jam explicui, habet Liber Rit. tom. 4. cap. 7. *Cem tsu ven.* Denique de ultima ista Ceremonia ad terminandum planctum, vide etiam eumdem Lib. Rit. tom. 2. cap. 4 *Tan kum hia.*

3. De victûs temperantia quam servant Sinæ triennalis luctûs tempore sic: Hoc luctûs tempore, filius Parentans & fratres ejus abstinent carnibus; seu vili & insipidâ tantùm orizâ vescuntur, nec legumina nec fructus comedunt nisi post unum annum; bibunt aquam; detrahunt lecti cortinas; pro cervicali adhibent ligni frustum. Lib. *Kia li* tom. 6.

4. De Ceremoniâ Cy, *quâ Parentis defuncti Tabella apponitur in Parentali Majorum domo, apud Avi Tabellam*, sic habet Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum hia*: Sequenti die post Ceremoniam terminandi diurni planctûs, fit alia ad apponendum defunctum Patrem apud Avum defunctum. Dein Interpres *Chin hao* sic: Per hanc appositionis Ceremoniam denunciatur quod Avi Tabella sit transferenda in aliam Parentalem Aulam, (Imperator enim & Reguli habebant plures), & in eam introducenda novissimè defuncti Patris Tabella.

Hanc Ceremoniam fusè etiam exponit Lib. *Kia li* tom. 6. sic: Priùs itur in Parentalem Avi & Aviæ defunctorum Aulam; hujus, vel illius Tabella lignea exponitur, illi dicendo: Accede, Tabella, precor, in tuum thronum. Reditur domum; accipitur nova defuncti Patris Tabella; lugubri planctu defertur in Parentalem Avi Aulam, & deponitur super mensam ad latus Tabellæ Avi & Aviæ. Cetera fiunt, ut antè in tranquillitatis Ceremonia. Postea illa Tabella domum refertur. Ceremoniæ verò schedula, seu verborum formula, quæ recitatur, est hæc: hoc anno, mense, die, obsequiosus pronepos humillimè cum ista munda pecude ove, vel capra, istis escarum ferculis, isto puro vino accedens ad tuum

 latus

latus, præclare Proave, Familiæ Domine, (vel Proavia,) nepotem defero: Id penè gratum habebis.

5. *De variis aliis Ceremoniis* Cy *ad usque triennalis luctûs finem* ex eodem Libro *Kia li* tom. 6. hæc pauca : Refertur alia Ceremonia *Cy*, quæ anniversario obitûs die fit ad mutandam vestem magis funebrem in minùs funebrem , & ad terminandum planctum matutinum & vespertinum ; & idem penè Ritus , ut suprà. Tunc legumina & fructus comedere incipiunt.

Altero seu secundo anniversario obitûs die , quo vestis minùs adhuc funebris induitur, fit alia Ceremonia *Cy*, tum ad auferendam Atavi Tabellam è Parentali Majorum domo, tum ad introducendam novam defuncti Parentis ; & tunc mutantur Tabellarum inscriptiones : Tabella Proavi inscribitur Abavi nomine ; Avi, Proavi nomine ; Patris, Avi nomine ; in illa enim Parentali domo ponuntur tantùm Tabellæ quatuor generationum. Ablata Tabella defoditur ad latus sepulchri. Tunc carnes comedere , & vinum bibere incipiunt, & suum cubiculum ad dormiendum repetunt. Ibidem.

Secundo post hanc ultimam Ceremoniam *Cy* mense, fit alia ad deponendam omninò funebrem vestem.

In his Ceremoniis *Cy* , penè iidem Ritus ut suprà ; dicendo in verborum formula seu schedula : quamvis filii teneantur perpetuò recordari Parentum , Ritus tamen habent suos terminos &c. Et antequam Tabella Defuncti exponatur , dicendo illi : te rogo , ad talem locum accede. Denique ibidem refertur Ceremonia *Cy* pro transferendo cadavere ab uno sepulchro ad alium sepulchri locum ; Ritus penè iidem , qui suprà relati sunt in sepulturæ pompa. Dum Parentans dicit : Timeo , nè ob incongruam cadaveris sepulturam , inopinatus casus commoveat Patris intelligentiam , seu Patrem defunctum : Ac paulò pòst , aperiendo sepulturam : cùm nunc sim sepulturam mutaturus , humillimè exopto , ut veneranda Intelligentia non commoveatur ; vel loquitur modo Rhetorico , vel juxta mentem Sectariorum dicentium unam ex tribus animabus sepulchrum custodire. Deinde ipse glossator *Tam* asserit istam transferendæ sepulturæ Ceremoniam non haberi in Libro *Kia li* ; sed se eam supplevisse , aut addidisse.

Supradictos funerales Ritus in toto hoc capite 4. relatos , vide etiam in Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 99. & 100.

CAPUT V.

CAPUT V.

De Parentali signo seu ligneâ Tabellâ, sinicè *Mo chu,* quam erigunt Sinæ ad colendos Defunctos.

QUæres 1. Quænam sit ligneæ istius Tabellæ origo, aut quonam tempore inceperit?

Respondeo 1. Confucius, qui 500. & ampliùs annis vivebat ante Christum, sic in suo Libro *Chun cieu* tom. 14. cap. *Ven kum xam* ait: Princeps *Ven kum* anno 2. sui Regni ligneam defuncti Reguli *Hi kum* sui Prædecessoris Tabellam *Chu* erexit. Jam verò Regulus iste *Ven kum* multis adhuc ante Confucium annis vixit.

2. Lib. Rit. tom. 1. cap. 2. *Kio li hia*, agens de antiquo Ritu in morte Imperatoris servando, sic: Postquam Parentalis domus exstructa, & lignea Tabella *Chu* erecta est, tunc defunctus Imperator vocatur *Ti*; (id est nomen Imperatoris honorificum.) Tum Interpres *Chin hao*: Statim à morte erigitur Tabella *Chum* ex ligno confecta, ad fulciendum Spiritum seu ad repræsentandum Defunctum. Post peractam tranquillitatis Ceremoniam *Yu*, defossâ Tabellâ *Chum*, brevior Tabella *Chu* erigitur ad eumdem fulciendum seu repræsentandum.

3. Idem Lib. Rit. tom. 4. cap. 7. *Cem tsu ven*, ostendens jam apud antiquissimos Imperatores illam Tabellam *Chu* haberi, sic ait: prisci Imperatores, (discipulus *Cem tsu* interrogat Magistrum suum Confucium) in bellum proficiscentes, ferebàntne necessariò secum ligneam Avi, ultra quartam generationem remoti Tabellam *Chu*? cui Confucius: Imperator visitans Regulorum regna ligneam remoti Avi Tabellam *Chu* secum ferebat. Ibidem paulò pòst: Cùm ergo, inquit discipulus *Cem tsu*, prisci Imperatores in bellum proficiscentes non transferrent secum Tabellam *Chu*, in quo, quæso, animum suum figebant? in jussu, reponit Confucius. Quid, precor, hoc significat, subjicit *Cem tsu*? Imperator, (inquit Confucius,) aut Regulus in bellum profecturus, assumpto serici volumine, & pellitâ honoris tesserâ, in Parentali palatio de sua profectione defunctos Avos admonebat; dein in aureo curuli collocatis hoc serico volumine, & tesserâ, iter aggrediebatur. In singulis refectionibus epulas ante illa

apponebat; domum reversus statim Avos defunctos de suo reditu admonebat; dapes apponebat; denique collectum sericum volumen ac tesseram, binarum inter scalarum gradus defodiebat, & tunc abibat. Adeò magnifaciebat Avorum jussum.

Cùm ergo tempore Confucii jam diceretur illa lignea Tabella in usu fuisse apud priscos Imperatores, qui fortasse ante illum vixerant mille & ampliùs annis, patet ejus originem esse antiquissimam; & illi erigendæ videtur occasionem dedisse mos ille Sinarum antiquissimus apponendi hospiti honorifico parvulam mensam ad incumbendum; (Sinæ enim tunc humi super storeas sedebant,) qui mos refertur in Libro *Y li*, id est, urbanitatum & Rituum tom.8. Eam etiam parvulam mensam Patri viventi apponi filius curabat, ut habet Lib. *Siao hio*, id est, doctrina parvulorum, cap.2.

Quæres 2. Quisnam sit finis erigendæ Tabellæ *Chu*? & quid significet?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom.9. cap. 30. *Fam ki* sic: In Ceremonia *Cy*, inquit Confucius, Spiritus personatus seu Puer Actor Defunctum repræsentans; & in Parentali domo lignea Tabella *Chu*, habetur ad ostendendum populis, quòd habeant, cui cultum & obsequium præstent; unde cultus & obsequium, quod præstatur in componenda Parentali Defunctorum Majorum domo, & in servanda Ceremoniæ *Cy* reverentia, fit ut edoceantur populi filialem diuturnæ memoriæ erga Parentes defunctos observantiam. Sed quamvis hoc fræno ac lege coërceantur, adhuc tamen vel sic defunctos Parentes oblivioni tradunt. Dein Interpres *Chin hao*: loco Parentum, inquit Doctor *Fam*, qui mortui erant, adhibebatur personatus Actor, ut illos viventes repræsentaret. Loco Spiritûs qui perierat seu defecerat, adhibebatur lignea Tabella, ut illum subsistentem adumbraret, juxta id quod libri antiqui & classici Sapientum dicunt: mortuis sicut vivis, non subsistentibus sicut subsistentibus inservitur; & idcircò dicitur: ***Ad ostendendum populis, quod habeant cui cultum & obsequium præstent.***

2. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem*: Ista vox *Xi* seu Actor personatus significat *exponere* vel *instruere*. Tum Interpres *Chin hao*: Cùm ista vox *Xi* seu Spiritus personatus sit Defuncti imago, debet habere eumdem sensum, quem vox *Chu*, seu lignea Tabella; adeóque errat Liber dicendo, quod significet *exponere*, vel *instruere*.

3. Lib. *Ven bien tum kao*, tom. 123. sic: Ratio, inquit Lib. *Pe hu tum*, cur fiat Tabella *Chu*, est quia Spiritus nulla re sensibili nititur, sive

est

est expers rei, quâ possit sensibiliter percipi; hinc filius obsequiosus illâ utitur ad suum animum illi affigendum. Illa Tabella ex ligno conficitur, quia cùm lignum habeat initium & finem vitæ, aliquam habet cum homine similitudinem. In illa scribitur Defuncti cognomen, nomen, cognomentum, &c. quia volumus ut ille postmodum cognosci possit.

4. Lib. *Ou kim y y*, sive specialis in quinque libros classicos discursus, sic: Modus faciendi Tabellam ligneam *Chu*, hic est: in medio quatuor laterum sculpitur lignum correspondens quatuor orbis partibus. Pro Imperatore fit alta cubito uno & duobus digitis; pro Regulis, cubito uno; in ejus dorso sculpitur cognomentum à morte datum. Hæc autem Tabella *Chu* est imago aut repræsentatio Spiritûs, seu hominis Defuncti. Sepulturâ enim peractâ, quia filius Parentans non habet in quo animum figat, nec quo fulciatur ac nitatur ejus mens, ideò ad faciendam tranquillitatis Ceremoniam ipso peractæ sepulturæ die, erigit Tabellam *Chu*, ut suam ei filialem observantiam præstet.

Quæres 3. An in illa Tabella *Chu* resideat Spiritus hominis defuncti?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic: Dum præsentatur cocta pecudis caro, Lector seu Ceremoniarum Præfectus defert præsentantis verba ad Tabellam *Chu*; dúmque fit Ceremonia *Cy* ad conquirendum Spiritum, idem Præfectus etiam facit Ceremoniam *Cy* vel intra, vel extra portam Parentalis Aulæ; nescitur enim ubinam sit Spiritus: hícne, an illic? an procul ab hominibus recesserit? & certè faciendo sic Ceremoniam *Cy* intra, aut extra portam Parentalis Aulæ, numquid quasi dicitur quòd ille in loco remoto requiratur?

2. Lib. Rit. tom. 1. cap. 2. *Kio li hia*: In denuncianda Imperatoris morte adhibetur hæc verborum formula: Imperii Rector ascendit *Kia*. Quid autem vox *Kia* significet, sic ibi dicit Interpres *Chin hao*: putat Doctor *Liu* legendum esse *Ke*, non *Kia*, id est, *appellere*, *pertingere*, *penetrare*, uti in Libro *Ye kim* symbolo *Tsuy* dicitur &c. Ego autem puto legendum esse *Hia*, id est, *procul*, *remotè*, *longè*; vúltque dicere, quòd locus ille, ad quem ascendit, sit valde altus & remotus, sicut id quod libri Imperii *Han* vocant *magnum iter*; nempe iter, quod successivè initur; vocatur autem *magnum iter*, quia qui semel illud adiit, non ampliùs redit.

3. Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum hia*: Celeberrimus ille Regni

Lu incola *Ten tim* bellissimè funebris luctûs modum callebat. Ubi primùm ejus Parens obiit, mox gemebundus anhelabat non aliter, ac si eum quæreret & non inveniret. Ubi cadaver feretro illatum in sepulturam deportabatur, suspirans prospiciebat non aliter ac si eum sequeretur, & non posset assequi; ubi denique feretrum sepultum fuit, dolens ingemiscebat non aliter ac si non posset domum reverti, ac subsistebat tamquam speraret Patrem adhuc reversurum. Tum Interpres *Chin hao*: quamvis sepultus jam abierit, nec ampliùs redeat; filius tamen obsequiosus dum excipit Spiritum seu Actorem personatum ac domum redit, adhuc se ita habet, quasi de hoc dubitaret.

4. Idem Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum hia*, agendo de filio Reguli *Ou*, cognomine *Xi*, sepelientis filium suum primogenitum in Regno *Cy*, ubi tunc agebat, sic ait: Feretro filii in sepulchrum illato, exutus veste exteriori ad sepulchri lævam cœpit plorare, & redire ad ejus dextram; térque exclamare dicendo: corpus quidem in terram ac pulverem reverti, iste est vitæ humanæ status ac conditio; quod verò attinet ad vitalem animæ auram, nullus est locus, quem non adeat; nullus, est, inquam, locus quem non adeat. Hæc effatus, mox abiit; id est, uti ibi ait Interpres *Chin hao*, finitâ ac dissipatâ hominis vitâ abiens anima non habet locum (nempe sensibilem, ac circumscriptivum;) & sunt verba quibus ostendebat quàm ægrè à filio avelleretur, & quàm optabat ut se redeuntem sequeretur; (vel potiùs dic, quòd Parentans in quovis loco honorem Defuncto seu Defuncti Spiritui exhibere possit, & quòd nesciret in quo præcisè loco ille tunc existeret.)

5. Idem Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic: Quando larvata illa turba veniebat ad effugandos Spiritus morbiferos, Confucius aulica veste indutus in orientalibus domesticæ scalæ gradibus stans se prodebat, servando aut tranquillando Parentalis conclavis Spiritus seu Defunctos. Sed ista ultima verba: *servando aut tranquillando* &c. non habentur in libro Sententiarum, sinicè *Lun yu*, referente eumdem textum art. 10. Hic autem Liber pluris fit à Sinis, quam Liber Rituum; húncque textum in Lib. *Lun yu*, sic explicat Doctor *Chu hi*: Quamvis istius larvatæ turbæ circumcursatio esset antiquus Ritus, multùm tamen redolebat rem histrionicam. Confucius verò veste aulica indutus ad illam accedebat, ut ostenderet se veram ubique servare reverentiam.

Eumdem textum sic explicat liber Imperatoris *Kam hi*, dictus *Ge*

kiam

kiam su xu: Quamvis iste Ritus esset antiquus, valde tamen erat similis actioni histrionicæ. Confucius autem domi degens, dum occurrebat illi turbæ sui loci seu oppidi agenti istam expellendorum morbiferorum Spirituum Ceremoniam, ipse ad reverendum Principis jussum seu legem (nempe priscum Ritum in antiquo Rituali Imperii *Cheu* præscriptum,) induebat vestem aulicam, & stabat ad orientales gradûs scalæ, ut servaret Heri domestici statam urbanitatem, dum illi larvati homines domum veniebant. Fortassè sic agebat Confucius, ut ostenderet se suis defunctis Parentibus adhuc eam reverentiam exhibere, quam ipsis exhibuisset; si tunc in vivis fuissent & domi egissent. Deinde an id reverà ageret Confucius, quis scit?

6. Idem Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y*, & Lib. *Siao hio* cap. 2. art. 1. sic: Ipso Ceremoniæ *Cy* die statim atque filius Parentans Parentale conclave ingreditur, subitò sibi videtur videre Parentem tamquam effigie expressum in suo signo, seu in Tabella lignea extantem; dum Ceremoniæ *Cy* tempore circumit ad portam, subitò videtur sibi audire Parentis tamquam gravitate verendi & se se moventis strepitum; dum portâ egressus auscultat, subitò videtur sibi audire illius tamquam singultu oppressi, & profundè gementis vocem. Unde patet priscos Imperatores in præstanda filiali erga Defunctos observantiâ, Parentum speciem suis oculis, vocem auribus, desideria cordi tamquam præsentia stitisse. Et verò qui Parentes defunctos toto corde amat, hi tamquam adhuc viventes ac subsistentes se ei sistunt (scilicet in mente); qui illos toto corde veneratur, hi tanquam spectabiles se ei reddunt; qui autem defunctos Parentes tamquam viventes, subsistentes ac spectabiles in corde habet, quomodo possit debitam illis observantiam non præstare? Tum Interpres *Chin hao*: Ista verba: *Videtur sibi videre Parentem in Tabella extantem*; id est, tamquam si filius videret suum Patrem in Spiritûs seu Defuncti Tabella extantem.

7. Dictionarium *Tsu guey* in littera *Chu* sic; Ista vox *Chu* significat etiam ligneam Spiritûs seu Defuncti Tabellam, quæ in Parentali domo erigitur, ut Mens resideat aut colligatur. Liber autem *Kum miao ly yo kao*, id est, examen Confucii funebris palæstræ Rituum, & Musicæ, tom. 1. dicit istam erigendæ Tabellæ *Chu* normam adhibitam fuisse ut colligeretur, aut resideret Spiritus in corde, seu mente (nempe Parentantis.)

8. Lib.

8. Lib. *Xi kim*, id est, Carminum, tom. 8. cap. *Cheu tsum*, odâ *Cim miao*, agens de Principe *Cheu kum* cum Proceribus ac Regulis faciente Ceremoniam *Cy* defuncto Patri suo *Ven vam*, sic: Proh! quàm admirabile est illud Parentale quietum palatium! Cernis, ut omnes illi Principes ac Reguli, summa cum reverentia ac concordia adjuvant Imperialem Parentalis Ceremoniæ *Cy* pompam? ut in tota illa Doctorum, virorumque eruditorum turba nullus est, qui defuncti Principis *Ven vam* virtutes ac gesta non celebret? postquam venerabundi, illius Spiritui in cælo existenti honorem exhibuere, tum properant ad illius Parentale palatium. Ad quem locum sic Interpres *Chu hi*: Postquam venerabundi, illius Spiritui in cælo existenti cultum præbuêre, statim festinant ad ligneam illius Tabellam in Parentali domo extantem. Cùm igitur dicat hic Intepres defuncti Spiritum in cælo existere dum fit Ceremonia *Cy*, satis innuit eum in Tabella non residere, uti etiam colligi potest ex prædictis Textibus.

CAPUT VI.

De Parentali ædificio, quod exstruunt Sinæ ad colendos defunctos Parentes.

Quæres 1. Quænam sit origo istius Parentalis ædificii?

Respondeo videtur esse antiquissima: Nam in Annalibus universalibus refertur Parentalis domus jam exstructa fuisse Imperatori *Hoam Ti* Defuncto. Deinde Liber *Ven hien tum kao*, tom. 91. refert Imperatores *Yao* & *Xun* exstruxisse defunctis suis Majoribus quinque Parentales domos, unam Familiæ suæ conditori, secundam Atavo, tertiam Abavo, quartam Avo, quintam Patri. Deinde sequentes Imperatores trium Imperiorum *Hia*, *Xam*, *Cheu* semper easdem exstruxerunt, ut patet ex toto Libro *Xu kum*, seu Annalium Imperialium.

Quæres 2. Quando exstruitur ista Parentalis Domus?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 1. cap. 2. *Kio li hia* sic: Dum vir Princeps meditatur exstruere palatium, primum quod facit, est exstruere Parentalem Majorum defunctorum domum; deinde equile & ærarii locum; ultimo loco suam habitationem.

2. Lib. *Kia li* tom. 1. sic: Dum vir sapiens meditatur exstruere domum

mum honorificam; ad orientalem anterioris habitaculi partem exstruit Parentalem Parentum defunctorum Aulam; hæc Parentalis Aula vel triplici vel unico ædificii ordine construitur. Ibidem sic: Cùm litterarum alumni, & viri plebeii ob suum inferioris conditionis gradum non possint exstruere Parentalem illam domum, dictam *Miao*, exstruunt tantùm Parentalem Aulam, dictam *Tsu tam*, seu Aulam Ceremonialem; imò, ut paulò pòst ibidem habetur, ii, qui non habent dignitatem hereditariam, nunc nec audent exstruere Parentales domos dictas *Miao*; sed tantùm exstruunt Parentales Aulas *Tsu tam*.

3. Deinde Lib. Rit. tom. 7. cap. 21. *Tsa ki bia* refert olim illiniri sanguine animalium Parentales Imperatorum Aulas, & quædam principaliora earum vasa. Sed de hoc illitu & ad quem finem fieret, vide Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos, nec nunc fieri arbitror. Prætereà illud videtur fuisse tantùm adhibitum Parentalibus Imperatorum domibus, aut similibus, ideóque de illo nihil loquitur Liber *Kia li*.

Quæres 3. Quid Sinæ intelligant per vocem *Miao*, qua Regum ac Principum defunctorum Parentales domos nominant? eâdem enim voce nunc Idolorum fana appellant.

Respondeo 1. Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *Miao*, sic: Ista vox *Miao*, ut omnes antiqui & moderni interpretantur, significat alicujus speciem; est autem id, quo hominis Defuncti species repræsentatur ac refertur.

2. Lib. Carminum tom. 8. cap. *Cheu tsum*, odâ *Cim miao*, sic compendiosa Interpr. compilatio: Ista vox *Miao*, significat alicujus speciem, seu repræsentare ac referre alicujus speciem; quia enim Defunctus spectari ampliùs non potest, ideò exstruitur Parentalis domus ad repræsentandam illius speciem.

3. Lib. *Kum miao ly yo kao* tom. 1. sic: Domus, inquit Dictionarium antiquum *Lh ya*, habens ab Oriente & Occidente lateralia cubicula, dicitur *Miao*; non habens hæc cubicula, tantùm dicitur *Cin*. Paulò pòst sic: *Cin*, est locus comedendi & dormiendi; *Miao*, est locus regendi & gubernandi. Iterum paulò pòst: Doctor *Chim kam chim* dicit anteriorem istius Parentalis domûs partem vocari *Miao*, posteriorem vocari *Cin*.

4. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 91. sic: *Miao*, inquit Doctor *Chin* in suo Libro Rituum, est ad repræsentandum, quòd Defunctus haberet

 olim

olim in vita Aulam ad gubernandum; *Cin*, est ad repræsentandum, quòd haberet habitationem ad comedendum & dormiendum. Idem tom.92. sic: Quod attinet ad priscorum Imperatorum normam, illi in anteriori parte exstruebant *Miao* ad repræsentandum quod Defunctus haberet olim in vita Aulam Imperialem pro regimine; in posteriore exstruebant *Cin*, ad repræsentandam quòd haberent habitationem, seu locum pro corporis refectione & somno. Hinc Sinæ Defunctorum ædificium sæpissimè vocant *domum*, *palatium*, *Aulam &c.* non verò *templum*. Itaque

5. Lib. Carmin. tom. 8. cap. *Lu tsum*, odâ *Pie kum* sic ait: Secretissimum *palatium* singulari pace, & quiete gaudet. Tum Interpres *Chu hi*: *Secretissimum palatium*, id est, Parentalis domus *Miao*.

6. Item Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum hia* sic: Si Majorum defunctorum *domus* incendio perierit; tribus diebus fiat funebris luctus; idcircò, (uti habetur in Libro *Chun cieu*, id est, *Vere*, & *autumno*) cùm novum *palatium* incendio periisset, tribus diebus ploratum fuit. Tum Interpres *Chin hao*: Majorum defunctorum *domus*, id est *Miao*, seu Parentale ædificium. Anno tertio Principis *Chim kum* Reguli Regni *Lu*, incendio periit Parentale ædificium *Miao* prædecessoris ejus *Siuen kum*; dicitur autem novum *palatium*, quia novissimè illata illuc erat Defuncti Tabella *Chu*.

7. Lib. Rit. tom. 4. cap. 8. *Ven vam xi tsu* sic: Dum Regulus adit curiam Imperialem, naturales filii, utpote officio carentes, communia Parentalia Majorum *palatia* custodiunt: legitimi filii custodiunt Parentalem conditoris Familiæ Aulam: Patrui, honoratiora eorumdum *palatia* & *conclavia*.

Ex his vides ista Parentalia ædificia *Miao* vocari nunc *palatia*, nunc *domus &c.* Unde videntur Idololatræ mutuati fuisse à Parentalibus domibus nomen *Miao* ad vocanda Idolorum suorum fana; non verò Parentales domus à fanis.

Quæres 4. Quomodo olim construerentur istæ Parentales domus?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi* sic: Imperator septem Parentales domos construit; tres à dextris & tres à sinistris, & in earum medio aliam pro Imperialis Familiæ conditore. Reguli construunt quinque; duas à dextris & duas à sinistris, & in medio earum aliam pro Familiæ suæ conditore. Primarii Præfecti seu Toparchæ, tres; unam à dex-

dextris, alteram à finiſtris, & in utriuſque medio tertiam pro Familiæ conditore. Doctores, ſeu litterarum & dignitatis laureâ donati unam tantùm; viri autem Plebeii nullam, ſed tantùm in propria ſua domo Parentibus defunctis cultum exhibent. Has ſeptem Parentales domos pro Imperatorum Avis, etiam nunc præſcribit Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 86.

2. Idem Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa* ſic: Imperator conſtruit ſeptem Parentales domos, unum aggerem & unam ſcrobem. Prima eſt pro Patre defuncto. 2. Pro Avo. 3. Pro Proavo. 4. Pro Abavo. 5. Pro Familiæ conditore. In his quinque fit unoquoque menſe Ceremonia *Cy*. Atavi autem, & alterius remotioris Avi Parentales domus ſunt tantùm duo lateralia cubicula, alterum orientale, alterum occidentale Parentalis palatii Familiæ conditoris, in quibus illorum ligneæ Tabellæ reconduntur; illiſque fit tantùm cum aliis Ceremonia *Cy* unoquoque trimeſtri. Sed pro Avo in ſeptimo generationis gradu remoto fit agger; pro Avo in octavo, fit ſcrobs; (nempe dum facienda eſt illis Ceremonia *Cy*;) non fit autem illis Ceremonia *Cy*, niſi dum occurrit aliqua poſtulatio (facienda ſcilicet cæli Domino, ſeu *Xam Ti*; pro qua re vide Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos;) pro ulterioribus Avis nihil fit, ſed vocantur *Quey*, hoc eſt, nomen commune Defunctorum.

Reguli verò conſtruunt quinque Parentales domos, unum aggerem, & unam ſcrobem, &c. Primarii Præfecti ſeu Toparchæ, tres domos, & duos aggeres, &c. Supremi ordinis Doctores, duas, & unum aggerem, &c. Secundi & tertii ordinis Doctores, unam tantùm. Denique viri Plebeii, nullam. Ad quem locum ſic Interpres *Chin hao*: Prætcritorum Doctorum, qui Parentalium domuum leges ac Ritus accuratè, ſingillatímq; explicuerunt, nemo umquam de iſto aggere & ſcrobe loquutus eſt. Inſuper idem Interpres *Chin hao* in variis rebus improbat illud capitulum *Cy fa*. Unde, inquit, iis, quæ in illo dicuntur, non valde magna fides adhibenda eſt. Atque ita de iſtis antiquis Parentalium domuum Ritibus hac in parte res eſt incerta.

Quæres 5. Quomodo nunc conſtruantur Parentales domus dictæ *Tſu tam*; id eſt, Ceremoniales Aulæ?

Reſpondeo Lib. *Kia li*, tom. 1. ſic habet: In hac Parentali ſeu Ceremoniali Aula ſculpuntur quatuor lignea loculamenta ad capiendas quatuor generationum, id eſt, Abavi, Proavi, Avi, Patris defunctorum Tabellas *Chu*; unaquæque habet ſuum loculamentum, & in loculamento

G 2 ſuam

suam thecam oblongam in qua reconditur. Ante hæc loculamenta, sita in unica longa mensa, dependet vimineum seu diaphanum velum. Tabellarum, seu loculamentorum superior ordo incipit à parte occidentali. Ante omnia loculamenta extendirur alia longa mensa communis, vel una ante singula ad gradus scalarum; deinde rursus alia communis apponitur pro odoramentis, &c. Lateralium consanguineorum sine Posteris defunctorum Tabellæ collocantur apud alias, quibuscum habent relationem; v. gr. Patruorum aut Avunculorum Abavi, Proavi &c. collocantur apud Patris Abavum, Proavum &c. Amitarum aut materterarum Abaviæ, Proaviæ &c. apud Matris Abaviam, Proaviam &c. Penè idem vide apud Lib. *Ta mim boei tien* tom. 95.

Quæres 6. Ob quem finem exstruantur istæ omnes Parentales domus?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa* sic ait: Dum Imperator constituit domuum Parentalium formas cum suis adjacentibus aggeribus & scrobibus ad faciendas Ceremonias *Cy*, id facit habitâ tum propinquioris & remotioris consanguinitatis, tum plurium & pauciorum Parentalium ædificiorum, quæ uniuscujusque conditioni competunt, ratione. Dein Interpres *Chin hao*: Constituere, inquit Doctor *Fam*, Parentalium domuum cum suis adjacentibus aggeribus & scrobibus formas, est id, quo filialis erga Parentes amor exhibetur; cúmque in exhibendo erga Parentes amore non possit non esse distinctio, ideò stabilitur propinquioris & remotioris consanguinitatis numerus, qui relucet in Parentalibus ædificiis, aliis à læva, aliis à dextra, aliis pro Avo, aliis pro Patre defuncto positis. Deinde dum aliis septem, aliis quinque, aliis tres, aliis duæ tantùm domus Parentales determinantur, tunc fixus illarum tum pauciorum, tum plurium numerus habetur.

2. Idem Liber Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y* sic: Sapientes illi Imperatores nondum his contenti, insuper exstruxerunt varias Parentales domos ad distinguendos propinquioris & remotioris consanguinitatis gradus, ad discernendos propinquos à non propinquis, ad docendos populos antiquitatem recolere, sui Principii recordari, nec eos ex quibus progeniti essent, oblivisci.

3. Vide etiam hîc suprà Quæres 3.

Quæres 7. Quando, & quomodo in Parentalibus istis domibus fiat Ceremonia *Cy* Parentibus defunctis?

Respondeo 1. Lib. *Kia li* tom. 7. sic describit vel præscribit illam Cere-

Ceremoniam *Cy*, quæ in ſtatis quatuor anni temporibus fit Parentibus defunctis; fit autem ſecundo cujusque tempeſtatis, v.gr. vernæ, æſtivæ &c. menſe. Sub finem menſis, qui Ceremoniam præcedit, ſorte eligitur dies, vel eliguntur dies hoc modo: Primo die ultimæ decadis menſis, qui Ceremoniam *Cy* immediatè præcedit, aſſumitur in ſingulis ſequentis menſis decadibus unus dies, vel *Tim*, vel *Hay*, (ſunt nomina dierum,) & eodem die exponitur odoramentorum menſa præ foribus domûs Parentalis ad Occidentem, vas odoramentorum, tubulus canneus bifariam diviſus, pelvis. Tum filius Parentans, ſeu paterfamilias cum ſuis Liberis, Generis ac Nepotibus in ſuo ordine diſpoſitis, honeſtiore veſte indutus, ſtans ante odoramentorum menſam, ſupra tubulum bifidum cremat odoramenta; & Lector recitat hanc verborum formulam: N. meditans conſuetum anni obſequium ſequentis menſis die N. exhibere, accedit ad ſuos Majores: id penè gratum habebitis. His dictis tubulus bifidus in diſcum jacitur; ſi tubuli facies altera cadat aperta ſurſum, & altera aperta deorſum, cenſetur fauſtus dies intra primam ſequentis menſis decadem aſſumptus; ſi aliter cadat, infauſtus; & tunc pari ſorte examinatur alter dies intra ſecundam dicti menſis decadem aſſumptus. Si ſors nondum ſuccedat, non ampliùs jacitur; ſed dies intra 3. menſis ſequentis decadem aſſumptus reſervatur. Deinde additur: ſi hæc ſortis jactio non fiat, ſuperior Ceremonia poteſt omitti. Et paulò pòſt: Dum dies ſorte electus, ut inquit Doctor *Chu hi*, non determinatur, animus non eſt à ſollicitudine liber. Doctor autem *Su ma ven kum*: poſſunt etiam, inquit, tantùm aſſumi dies Æquinoctii & Solſtitii. Si ergo juxta hujus Doctoris mentem, aſſumantur tantùm dies Æquinoctii & Solſtitii, judico expedire, ut menſe præcedente paterfamilias priùs eat in Parentalem domum, & præfixum Ceremoniæ *Cy* diem denuntiet. Hæc denuntiatio ibidem ſic deſcribitur: Paterfamilias cum ſupradictis generis, liberis ac nepotibus exhibet ſolitas corporis inclinationes; accedit ad menſam odoramentorum; flexis genibus cremat odoramenta; ſurgit, iterat inclinationes; Lector ad ejus latus flexis genibus recitat hanc formulam: obſequioſus nepos N. meditans ſequenti menſe, die N. reverenter præſtare conſuetum anni obſequium ſuis Majoribus defunctis, audet electum diem denuntiare. Quo lecto, repetuntur corporis inclinationes, exitur, clauditur porta, & ad portam foris unus domeſticorum, patrisfamilias nomine, ſic: Cùm nepos obſequioſus N. meditetur ſequenti menſe, die N. reverenter præ-

stare consuetum anni obsequium Majoribus defunctis; omnes, qui funguntur aliquo munere, diligenter res necessarias præparent. Cui respondent: parebimus. Quod attinet ad has sortes, síntne superstitiosæ, nécne? vide Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos. Deinde ibi dicit Liber quòd non omnes possint servare hos Ritus; imò jam pridem hos pauci servent.

Posteà refert res necessarias ad præfatam Ceremoniam *Cy*: scilicet mensas, sedes, discos, scyphos, pocula, fercula, vasa, pelvim, lintea, mantilia, odoramenta cum suis capsulis, candelabra cum sua pelvi, fasciculos herbarum *Mao*, de quibus jam suprà; pecudes, v. gr. ovem vel capram, vel porcum, vel gallinam, vel anatem; vinum, fructus, legumina, carnes, pisces, orizam, potum *Cha*, &c. Magistros Ceremoniarum & famulos. Hisce præparatis, ut ibidem describitur, tribus diebus ante Ceremoniam *Cy* servanda præscribitur variarum rerum abstinentia. Quibus in rebus consistat, & cur, vide Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos, & alibi.

Die Ceremoniam præcedenti, Paterfamilias cum liberis, generis & famulis it in Parentalem domum; Aula verritur, mensæ ac sedes terguntur, pro singulis quatuor generationibus defunctorum Progenitorum, nempe pro Patre & Matre, Avo & Avia, Froavo & Proavia, Abavo & Abavia, designantur 4. loca; unusquisque locus continet unam mensam cum duabus sedibus simul junctis; & hoc vocatur sinicè *Guei*, scilicet locus designatus, in quo Tabella Patris & Matris, Avi & Aviæ &c. exponuntur tamquam ad epulum. Alia mensa odoramentorum apponitur in medio Aulæ cum suis candelabris & odoramentorum vasis, & infra eam fasciculi herbarum *Mao* arenæ immixtarum, uti & infra prædictas mensas. Hinc, & hinc aliæ mensæ ad apponendum cibum & potum. Item mortuarius lectus cum epulis ad Occidentem.

Posteà Paterfamilias ducens secum suos generos ac liberos, it ad locum, ubi inspiciuntur animalia, ut illorum occisioni præsit seu curet occidi, sinicè *Li xa*, (non ut propriis manibus occidat); illa inspicit aut examinat; illorúmque inspectione ac determinatione peractâ, nempe illis occisis, Materfamilias cum suis nuribus mundat supellectilem, condit ac præparat epulas, &c. Sequenti die summo mane surgitur; Paterfamilias cum tota sua Familia vadit in Parentalem domum. Supra unamquamque mensam quadruplex ferculorum ordo dispo-

sponitur; sed secundus vacuus relinquitur ad eum implendum, dum fit Ceremonia præsentandi. Deinde si adsit animal integrum, (nempe pridie occisum) apponitur adhuc alia mensa pro eo imponendo; si non adsit, non apponitur.

Deinde hæc adjungit: si modus ordinariorum conviviorum adhibeatur, videtur mihi sic penè exprimi mens inserviendi mortuis, sicut vivis.

Hoc igitur die postquàm Paterfamilias & Materfamilias cum tota Familia in Parentalem domum advenerunt, & manus laverunt; famuli aperiunt thecas in quibus reconduntur ligneæ Parentum defunctorum Tabellæ; has extrahunt; super odorariam mensam flexis genibus cremantur odoramenta, & recitatur hæc formula: Cùm nepos obsequiosus hoc secundo N. (id est, veris, vel autumni, vel æstatis, vel hiemis) mense velit sua præstare obsequia Abavo & Abaviæ, Proavo & Proaviæ, Avo & Aviæ, Patri & Matri; audet vos rogare, Spirituum seu Defunctorum Tabellæ, ut exeatis, & veniatis in medium anterioris Aulæ, ubi possit reverenter suæ observantiæ ministerium exhibere.

Tum factis corporis inclinationibus, positæ in lancibus Tabellæ, præeunte Patrefamilias, deferuntur in anteriorem Aulam, & in præparatis locis (de quibus antè) deponuntur. Deinde omnes simul faciunt solitas corporis inclinationes, id est, unam leviorem, & quatuor profundiores. Pòst demittitur Spiritus; id est, Paterfamilias post lotas manus genibus flexis cremat odoramenta super mensam odorariam; unus è consanguineis vel liberis, à sinistris Patrisfamilias flectens genua, ei offert scyphum orbiculo impositum; alter à dextris etiam flexis genibus vinum infundit in scyphum. Paterfamilias lævâ tenens orbiculum, & dextrâ scyphum, totum vinum effundit supra prædictum fasciculum herbarum *Mao* arenæ immixtum, (jam suprà dixi hoc vinum vel in terram, vel in pelvim subjectam solere effundi,) binámque Tabellis profundiorem reverentiam exhibet. Tum Pater & Materfamilias accepta è manibus famulorum fercula piscium, carnium, eduliorum, orizæ &c. apponunt in secundo mensæ ordine vacuo ante prædictas Abavi & Abaviæ, Proavi & Proaviæ, Avi & Aviæ, Patris & Matris Tabellas; & ceteri consanguinei similia ante collateralium consanguineorum Tabellas. Deinde Paterfamilias prima vice vinum præsentat: id est, ante unamquamque Abavi & Abaviæ, Proavi & Proaviæ, Avi & Aviæ, Patris & Matris Tabellam tantillum vini è scypho effundit supra prædi-

ctum

ctum herbarum *Mao* fasciculum, & ante eamdem receptum scyphum deponit famulus. Quo facto omnibus in genua provolutis, Lector etiam flexis genibus ad lævum latus Patrisfamilias hanc verborum formulam recitat: Hoc Imperatoris N. anno N. mense N. die N. obsequiosus abnepos N. Præfectus N. cognomine N. nomine N. audet palàm præclaris Abavo, Proavo, Avo, Patri, præfectis N. familiæ Dominis; & præclaris Abaviæ, Proaviæ, Aviæ, Matri, cognominatis N. cognomine N. hæc dicere: Anni ordo suas assiduè mutat vices: nunc vernum tempus, (vel æstivum, autumnale &c.) advenit. Dilabentis igitur anni tempore excitatus ad recordationem, diuturno vestri desiderio vehementer teneor. Idcircò omni reverentiâ cum hac munda pecude nempe ove, vel capra, vel porco; cum hisce farinæ, orizæ, ceterarúmque rerum ferculis, cum hoc puro vino, consuetum annui obsequii munus submissè vobis exhibeo; uti & consanguineo, vel consanguineis N. N., quos vobis mensæ comites adjungo: id penè gratum habebitis. Quo lecto unus consanguineorum senior prædictam vini præsentandi Ceremoniam etiam facit collateralibus consanguineis. Deinde assum jecur apponitur ad dictas Tabellas ab aliquo etiam seniore consanguineorum, & hic idem vel Materfamilias, vel rursus Paterfamilias secundâ vice ac tertiâ vinum præsentat, sicut prima vice fuit præsentatum; & post utramque istius præsentati vini Ceremoniam, ad easdem Tabellas apponitur caro assa ab aliqua nuru seniore, si Materfamilias istam præsentandi vini Ceremoniam faciat; vel ab aliquo consanguineo seniore, si vel Paterfamilias, vel consanguineus senior eam faciat.

Posteà fit invitatio seu exhortatio ad epulas; id est, Paterfamilias infundit vinum in scyphos ante Majorum Tabellas, & Materfamilias infigit cochlear in orizæ scutellis, & ambo factis solitis inclinationibus corporis, cum aliis egrediuntur; porta clauditur, vel demittitur velum vimineum, & silentio tantisper quiescunt, (nempe sicut olim relinquebatur comedere ille Puer Actor, qui Defunctum repræsentabat.) Tum Lector tussienti similis, ter vocem lugubrem edit, finicè *Y bin*, (vide supra); aperitur porta; apponitur potus *Cha* à Patre & Matrefamilias, alisque consanguineis ante singulas Tabellas. Posteà felicitas, seu vinum faustitatis ebibitur, & carnis vel orizæ ferculum excipitur sic: famuli sternunt stoream ante mensam odoramentorum, ad quam accedit Paterfamilias; vini scyphum extantem ante Abavi Tabellam

Iam accipit Lector; & flexis genibus Patrifamilias, genua etiam flectenti, eum tradit; Paterfamilias tantillum vini in terram effundit, ac tantillum deguſtat, ſeu ſcyphum ad labra tantùm admovet. Idem Lector cum cochleari accipit tantillum orizæ ex omnibus ſcutellis ante Tabellas extantibus, & diſco imponit; pergénſque ad lævam Patrisfamilias, hanc apprecatoriam verborum formulam recitat: Defuncti Avi jubent me internuntium tibi nepoti obſequioſo felicitatem, quam communices tuis nepotibus obſequioſis, (nempe operis perfectionem, &c. ut infrà dicetur) ſine termino deferre ſeu nuntiare, ita ut à Cælo Magiſtratûs ſtipendia accipias, optimam ex agris meſſem colligas, & longiſſimam vitam ducas. Vide, ne hunc Parentalem Ritum negligas, ſed eum tuis Poſteris tranſmitte. His lectis, Paterfamilias deponit humi vini ſcyphum ante ſtoream, binámque profundiorem reverentiam exhibet; rurſus flectit genua, tantillum orizæ è catino, quem Lector tenet, accipit, deguſtat, in veſtis manica includit; recipit vini ſcyphum & exhaurit, eúmque cum orizæ catino reddit famulo. Dein Lector dicit: alimoniæ opus eſt peractum. Sequuntur ſolitæ corporis inclinationes, redit unusquiſque ad locum ſuum, valedicitur Spiritui, id eſt, Defuncti Tabellæ ſic: una levior, & quatuor profundæ corporis inclinationes exhibentur. Poſteà crematur ſupradicta verborum formula ſeu ſchedula, qua res fuerunt præſentatæ. Eodem modo, quo allatæ ſunt, referuntur Tabellæ in priſtinum locum; colliguntur fercula; & omnis Ceremonia peracta eſt.

Pro his omnibus Ritibus modò recenſitis, & infrà adhuc recenſendis, vide Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos, ubi ſinguli in particulari diſcutiuntur, & motiva ac intentiones, ob quas inſtituti ſunt & exercentur, reperies.

Poſt hæc, Pater & Materfamilias ſedent in medio Aulæ; Liberi, nurus, nepotes, aliíque Poſteri unam leviorem, & quatuor profundiores, ut ſuprà, corporis inclinationes eis exhibent. Deinde illorum unus natu grandior accipit vini ſcyphum, & accedens ante Patris & Matrisfamilias ſedes flectit genua; ſi hic ſit filius aut nepos, ſedendo; ſi ſit frater, ſtando illum excipiunt. Deinde Lector hanc verborum formulam recitat: quandoquidem Parentalis Ritûs opus ſit peractum, Majoréſque defuncti gratum munus habuerint; ſubmiſsè exoptamus, Parentes venerandi, ut quintuplicem felicitatem (ſcilicet longam vitam, divitias, cordis & corporis tranquillitatem, honeſtatis amorem, finalem virtutis

H per-

perfectionem) perfectè recipiatis, totámque nostram Familiam protegatis ac rectè componatis. His lectis, vini scyphum tradit famulo; famulus eum ante Patrem & Matremfamilias apponit; ille autem statim exurgens, factâ leviori reverentiâ, redit in suum locum, ubi cum aliis omnibus consanguineis unam leviorem, & quatuor profundiores corporis inclinationes eis exhibet, nempe omninò, ut fit Defunctis. Tum Paterfamilias: quandoquidem, inquit, Parentalis Ritûs opus peractum sit; quintuplicis felicitatis bonum, omnibus vobis commune facio. Quo dicto, rursus iteratæ corporis inflexiones. Deinde viri in exteriori, mulieres in interiori Aula præsentatas dapes seu peracti convivii reliquias comedunt & bibunt. Idem vide apud Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 95.

Interpres *Lieu cham* sic ait: Epotandæ felicitatis, inquit Doctor *Han guey* in suo Libro *Kum kia cy*, & excipiendæ carnis Ritus jam pridem exolevit, (nempe in Parentum defunctorum Ceremoniis,) nec in praxim deducitur. Nunc ergo sufficit, ut residuæ Parentationis escæ & vinum distribui tantùm jubeatur inter consanguineos seniores & juniores ad illas edendas, & hoc bibendum.

2. *De Ceremonia* Cy *primis Familiæ Avis*, *vel primis hominum Avis facienda in Solstitio hiberno*, agit idem Liber *Kia li* tom. 7. Sed ibidem dicit, uti & Liber *Sim li ta ciuen* tom. 21. eam inventam fuisse à Doctore *Chim* oriundo ex pago *Y chuen*, sub Imperio *Sum*, nec jam in usu esse. Hujus Ritûs, penè ut in præcedenti, vel potiùs, ut in sequenti. Antequam crematur pecudis adeps supra vas odoramentorum, sic Lector ait: Cùm obsequiosus nepos N. hoc Solstitio hiberno suum velit obsequium præstare magno seu primo Avo ac magnæ Aviæ, audet rogare venerandas Intelligentias, ut descendant & degant in Spiritûs seu Defuncti Tabella ad Ceremoniam Cy, eis reverenter faciendam.

Nota: Cùm dicat Liber hanc Ceremoniam Cy Sinas nunc non audere facere, nec ergo prædicta formula recitatur; hoc ergo fuit tantùm inventum istius hominis particularis, nec usu receptum: dein more vel Idololatrarum Sinensium vel Rhetorum loquebatur. Prædictæ Ceremoniæ *Cy* formula sic assignatur: Anno N. obsequiosus nepos N. audet palam magno, sinicè *Hoam*, primo Avo, & magnæ primæ Aviæ hæc dicere: cum advenerit Solstitium hibernum seu initium dierum crescentium, memor debitæ gratitudinis erga meum Principium ac originem non ausim Ritus negligere; ideò omni cum reverentia, istam mun-

mundam pecudem ovem, ista escarum fercula, istud purum vinum, annui obsequii munus submissè vobis appono. Id penè gratum habebitis.

3. Idem Lib. *Kia li* tom. 7. refert Ceremoniam *Cy* initio Veris faciendam antiquioribus Avis, seu Majoribus ultra quatuor generationes remotis; sed hanc ait etiam esse ex inventione ejusdem Doctoris *Chim*, & per eam quasi usurpari Ritus, Regum proprios; posse tamen quandoque fieri ad animorum conjunctionem; nempe ab iis, qui ex multis Parentelæ ramis collecti per multas generationes simul convescuntur; ab iis autem, qui eâdem Parentelâ per quatuor tantùm generationes uniti simul cohabitant, non oportere fieri; sed Liber *Sim li ta ciuen* tom. 21. absolutè dicit hanc, uti & præcedentem, nunc non fieri. Ritus, ut in penultima Ceremonia *Cy*, præter hos paucos magis particulares; Pro ligneis Tabellis, adhibetur papyrus, in qua scribitur istorum Majorum nomen. Die Ceremoniam præcedenti sub vesperam occiditur pecus vel pecudes, priùs inspectæ à Patrefamilias, quæ postquam occisæ sunt, ipsemet eas abscindit; ex pilis & sanguine unum, ex capite & corde unum, ex jecore & pulmone unum, ex adipe & contrita herba odorifera *Hao*, vel ex aliis odoribus unum, ex jecoris minutali duo parvula, ex pulmonis minutali etiam duo parvula facit fercula; ex simplici seu puro carnis semicoctæ jusculo majorem scutellam, & ex ejusdem jusculo mixto cum leguminibus minorem componit. Integrum animal (scilicet occisum,) in magna lance apponitur. Sed ibidem sic dicit: Nunc in solemnibus Regni Ceremoniis *Cy*, animal quidem integrum apponitur defunctis Regibus ac Principibus; sed in inferioribus & secundariis, ad singulas ligneas Tabellas pars unicuique divisa apponitur: Et nunc sic morem esse mutatum arbitror.

Deinde ibidem sic: Juxta Ritus Ceremoniæ *Cy*, quæ fit in singulis quatuor anni temporibus, debent priùs inspici & occidi animalia; sed nunc hoc non fit. Ideò hic istud suppleo. Ac posteà dicit, quòd Paterfamilias cum suis Generis aut Liberis adeat locum ubi sunt animalia, ea inspiciat, & curet occidi, ut suprà; id est, die Ceremoniam *Cy* præcedente. Sequenti die manè exponuntur vasa, epulæ supradictæ, signa papyracea; Paterfamilias cremat ter odoramenta in mensa odoraria; dein Lector legit eamdem formulam, quam suprà in præcedenti Ceremonia *Cy*, mutando tantùm hæc verba: loco magni aut primi Avi, dicit antiquiorem seu priscum Avum; & loco primæ Aviæ, dicit priscam Aviam

Cùm hæc Ceremonia *Cy* sit etiam ex inventione Doctoris *Chim*, idem etiam esto judicium de ejus formula, quod de præcedenti.

Recitatâ hac formulâ, (pergit idem Liber *Kia li*) pecudis adipem in vase supra carbones cremat Paterfamilias; posteà sequuntur corporis inclinationes &c. ut suprà num. 1. Deinde idem Paterfamilias apponit sanguinem cum pilis, carnem crudam, carnem coctam, orizam coctam, prædictam majorem & minorem scutellam apud prisci Avi & Aviæ signa papyracea, & ter vinum præsentatur cum reliquis, ut suprà eodem num. 1. Istius Ceremoniæ *Cy* formula hæc est: hoc anno, mense, die, &c. obsequiosus nepos &c. Audet palàm antiquiori seu prisco Avo N. Præfecto N. familiæ Domino, & antiquiori seu priscæ Aviæ N. cognominatæ N. cognomine N. hæc palam dicere: Cùm nunc Ver, nascentium rerum Principium incipiat, diuturnâ vestri memoriâ commotus ad grates nostræ origini persolvendas, statos Ritus oblivisci non ausim; ideò omni cum reverentia istum mundum porcum, istam limpidam aquam, istud vinum novum & defæcatum, annui obsequii munus submissè vobis appono; omnésque nostri Majores huc adveniant. Id penè gratum habebitis. Hæc verba ultima: *Omnes nostri Majores huc adveniant*, non habet Liber *Sim li ta ciuen*, qui ibi tomo 21. dicit hanc & præcedentem Ceremoniam *Cy* nunc non fieri, sinicè *Kiay pu kan cy*; utraque fuit novum inventum prædicti Doctoris *Chim*.

4. Idem Lib. *Kia li* tom. 7. refert Ceremoniam *Cy* in fine autumni faciendam Patri & Matri defunctis; vel alterutri, si alteruter sit adhuc superstes. Ritus, ut numero 1. de Ceremonia *Cy* quatuor temporum. Ceremoniæ formula sic ait: Hoc anno, mense, die &c. obsequiosus filius N. palam audet præclaro Patri Præfecto N. & præclaræ Matri cognominatæ N. Cognomine N. hæc dicere: Nunc autumni finem, quando res incipiunt esse maturæ ac perfectæ, instare videns, commoveor ad vestri recordationem ac desiderium. Vastissimum Cælum caret limitibus; (ita nimirum Parentum beneficia;) ideò omni cum reverentia &c. ut suprà.

5. Idem Lib. *Kia li* tom. 7. refert seu præscribit Ceremoniam *Cy* defuncto Parenti faciendam in Anniversario ejus obitûs die; hócque die nec vinum bibitur, nec caro comeditur; nec musicæ, seu comœdiæ assistitur; lugubris vestitus induitur; seorsim ab uxore dormitur. Ritus ut suprà num. 1. Ceremoniæ formula sic est: Hoc anno &c. obsequiosus filius,

filius, vel nepos, abnepos &c. N. audet palam Patri, vel &c. hæc dicere; Anni ordo assiduè suas mutat vices; nunc cum recurrat obitûs tui dies, hic me ad diuturnam tui recordationem excitat. Vastissimum cælum caret limitibus; omni igitur cum reverentia ad prodendum meum affectum istam pecudem & vinum tibi appono. Id penè gratum habebis.

6. Idem Lib. ibidem aliam refert Ceremoniam *Cy* verno tempore ad sepulchrum seu in sepulturæ loco faciendam. Uno aut altero die ante Ceremoniam, Paterfamilias cum famulis pergit ad sepulturam, mundat locum, evellit herbas, spinas, tribulos. Ceremoniæ Ritus, ut suprà num. 1. Nisi quòd ligneæ Tabellæ non apponantur; lugubris vestitus induitur; sternuntur storeæ ante sepulchrum ad dapes exponendas; Ceremoniæ formula sic ait: Hoc anno &c. obsequiosus vel filius, vel nepos &c. N. audet palam Parentis vel consanguinei N. Præfecti N. sepulchro hæc dicere: Anni ordo assiduè suas mutat vices; cùm ros & pluvia terram irrigârint, ideò sepulturæ vestræ septum visitaturus veni, ut illud mundarem ac verrerem. Ad ejus conspectum incredibili tui, vel vestri desiderio exarsi. Quare istam mundam pecudem, (nempe pecudis carnes,) & istud vinum, annui obsequii munus submissè ac reverenter vobis appono, vel præsento. Id penè gratum habebitis. Deinde ibidem adhuc refert Ceremoniam *Cy* Spiritûs istius loci, de quo suprà.

7. Idem Lib. *Kia li* ibidem tom. 7. ponit Ceremoniam *Cy* faciendam, quando Imperator aliquem Defunctum titulo honorario, seu honorifico cognomento exornat. Ritus, ut suprà num. 1. In fine Ceremoniæ, schedulam, in qua scriptum cognomentum honorificum miserat Imperator, unà cum Ceremoniæ *Cy* formula comburitur. Hujus formulæ sensus est: Imperator memor rerum à Defuncto olim in Magistratu bene gestarum, misit istud elogium, seu cognomentum honorarium; Parentans & gaudet & dolet; nam dum istius elogii schedam comburit honoris ergò erga Imperatorem, sibi auget doloris sensum erga Defunctum; hinc cum isto vino, atque fructuum ferculis demonstrat suam reverentiam.

Hæc Ceremonia habetur tom. 1. dicti Libri *Kia li*; sed glossator *Yam* in hoc tom. 7. eam auxit.

Deinde idem glossator in eodem tom. 7. addit alias duas faciendas duobus Spiritibus, scilicet Spiritui alicujus loci terræ dicto *Tu ti*, de quo suprà; & Spiritui foci, ultimo die anni.

8. Nota: Idem Liber *Kia li* tom. 1. & 2. leviores quasdam Cere-

 mo-

moniæ aut honoris exhibitiones etiam refert seu describit; v.gr. pro primo anni die, pro 1. & 15. die mensis, pro solstitio hiemali, pro impositione primi pilei, &c. Sed cùm nihil habeant speciale, eas omitto.

Videamus nunc ob quem finem, intentionem, motivum istæ omnes Ceremoniæ, illarùmque Ritus particulares instituti fuerint ac nunc serventur, aut exerceantur; hoc enim est præcipuum, quod spectari & attendi debet.

CAPUT VII.

De fine & intentione, ob quam varii Ritus erga Defunctos olim instituti sunt, ac nunc fiunt in Parentali Ceremonia *Cy*.

QUæres 1. Ob quem finem sanguis, pili, caro cruda, jecur, pulmo, cor, caput, aqua apponatur, & adeps concremetur? nempe in quibusdam tantùm, & raris Parentum Ceremoniis; &, ut dixi, quæ nunc non fiunt. Pro Confucii Ceremonia *Cy*, vide Caput sequens.

Respondeo 1. Liber *Ven bien tum kao* tom. 94. sic: Præteriti Doctores dicunt appositionem sanguinis, pilorum, carnis crudæ esse appositionem escarum, quibus in antiquissimis temporibus homines vescebantur; (vide suprà, Cap. 1. Quæres 1.) appositionem verò carnium cum aliis prioribus semicoctis simul coctarum, quæ post modicum temporis intervallum fit, esse appositionem escarum, quibus in præsenti tempore homines vescuntur.

2. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem*: Pili & sanguis accipiuntur ad denuntiandam pecudis occisæ obscuritatem seu interioritatem, & integritatem; in denuncianda autem pecudis obscuritate seu interioritate, & integritate ostenditur, quòd magnificat totalis ejus perfectio. Tum Interpres *Chin hao*: quando pecus occiditur, primùm accepto sanguine & pilis id Spiritui seu Defuncto, (nempe Defuncti Tabellæ) denuntiatur; quia sanguis est aliquid intrinsecum; ideò dicitur cum eo obscuritas seu interioritas denuntiari; & quia pili sunt aliquid extrinsecum, ideò dicitur cum illis denuntiari integritas; magnificare autem totalem pecudis perfectionem, est spectare, ut illa intrinsecè & extrinsecè sit omninò perfecta.

3. Lib.

3. Lib. Carminum tom. *Siao ya*, odâ *Sin nan xan*, sic compendiosa Interpretum compilatio : Ipsemet filius Parentans arripit cultrum tintinnabulo instructum ad abscindendos pecudis pilos auris, ut denuntiet (nempe Defuncti seu Defuncti Tabellæ) omnimodam ejus perfectionem; accipit ejus sanguinem, eúmque in scutella apponit, ut denuntiet ejus occisionem, non ex morbo scilicet mortuam. Deinde accipit ejus adipem, eámque cremat cum herba odorifera *Siao*, ut suavem odorem præbeat.

4. Lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Ly yun* sic : Adhibere vinum cæruleum in Ceremonia *Cy*, (id est, aquam limpidam,) præsentare seu apponere pecudis sanguinem cum pilis, ac carnem crudam &c. ad magnificiendam Defuncti animam & corpus, id dicitur habere quamdam caliginosam conjunctionem. Ad hunc locum sic Interpres *Chin hao* : præsentare vinum cæruleum seu aquam, ac sanguinem cum pilis, & apponere carnem crudam, hæc tria fiunt ad imitandum antiquissimi temporis Ritum; (nempe dum nondum vini & ignis usus erat, Sinæ bibebant aquam ac sanguinem; comedebant carnes crudas cum inhærentibus pilis. Vide Cap. 1. Quæres 1.); quæ sequuntur autem, id est, coquere carnes, sternere storeas &c. sunt mediæ antiquitatis Ritus. Denique recedere ad breve temporis spatium, & reliqua usque ad finem, sunt consueti recentioris temporis Ritus. Idem Interpres ibidem sic: Cùm antiquitùs nullus vini usus adhuc foret, præsentabatur aqua : ideò posteriores Imperatores in honorem antiquitatis eam appellàrunt vinum cæruleum.

5. Lib. Rit. tom. 4. cap. 11. *Kiao te sem* sic : Præsentatur sanguis ad patefaciendam vitalis auræ, quam pecus occisa habebat, abundantiam, seu vitalium spirituum abundantiam. Præsentatur pulmo, jecur, cor ad magnificienda vitalis auræ seu vitalium spirituum præcipua receptacula. Dum præsentatur milium, additur pulmo; dum præsentatur vinum novum, additur aqua limpida, ut gratiæ agantur rei ad quietem *Yn* pertinenti. Extracta viscerum adeps crematur & caput præsentatur seu apponitur, ut gratiæ agantur rei ad motum *Yam* pertinenti. Tum Interpres *Chin hao* sic: Dum visibilis Defunctorum Majorum species seu corpus in terram revertitur, id dicitur res ad quietem *Yn* pertinens. Pulmo dum comparatur cum quinque primariis Principiis universalibus, (scilicet terra, igne, aqua, ligno, metallo) spectat ad metallum; metallum & aqua sunt etiam quid pertinens ad quietem *Yn*; ideò pulmo,

&

& munda aqua addebatur, ut cum rebus ad quietem *Yn* pertinentibus, gratiæ agerentur Intelligentiæ rei ad quietem *Yn* pertinentis, (nempe Animæ, quatenus olim corpus vivificanti; vel potiùs corpori, quatenus olim viventi vitâ sensitivâ.) Adeps autem priùs in vase focario cremabatur; ac posteà dum caro cocta apponebatur, herba odorifera *Siao* mixta cum milio comburebatur. Milium, est quid pertinens ad motum *Yam*, uti & caput pecudis est etiam pars ad *Yam* pertinens. Jam verò quia animæ vitalis aura dum in cælum redit, dicitur res pertinens ad motum *Yam*, ideò cum rebus ad motum *Yam* pertinentibus gratiæ agebantur Intelligentiæ rei ad motum *Yam* pertinentis, (nempe animæ, quatenus olim viventi vitâ rationali.)

6. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y* sic: Positis igitur his duabus rebus, (scilicet hominis corpore & anima) instituti sunt duo Ritus; primus est matutinum opus, quo pecudis adeps mixta cum odorifera herba *Siao* comburebatur ad gratias agendas vitali auræ seu Defuncti animæ; hoc enim modo instruebantur populi recolere suam originem, ex qua nati erant. Secundus est post matutinum opus, quo præsentabatur jecur, pulmo, caput, cor cum duabus vini novi amphoris, & insuper in terram effundabatur vel præsentabatur (olim videtur fuisse tantùm præsentatum, non effusum) vinum ex odoriferis herbis *Yo* & *Cham* confectum, ad gratias agendas corpori. Tum Interpres *Chin hao*: Istæ duæ res, sunt tum vitalis hominis aura, quæ est clara Spiritûs producentis manifestatio, tum corpus, quod est clara Spiritûs destruentis manifestatio. Isti duo Ritus, sunt tum matutini operis, quo nempe adeps comburebatur, & caro cruda, sanguis &c. præsentabatur seu apponebatur; tum subsequentis operis, quo carnes coctæ ac conditæ inferebantur, Ceremoniæ. Insuper adhibebatur vini odoriferi in terram effusio, quia Defuncti corpus in terram rediit. Hæc quidem Ceremonia fiebat in principio; sed liber eam hîc ponendo post præsentatum milium & carnem coctam, vult significare, quòd non tantùm milium & caro cocta apponebatur ad gratias corpori agendas, sed etiam quòd illa vini odoriferi in terram effusio, quæ in principio fiebat, simul adhiberetur ad gratias eidem agendas.

Interpres *Hoam* in suo Commentario dicto *Li ki kiam y*, id est, interpretatio Libri *Li ki*, ad eumdem textum sic: Id, quod per istam & adipis & herbæ odoriferæ *Siao* vel *Hao* combustionem intendebatur, erat suavis exhalatio ac bonus odor. Odor & exhalatio cùm sit quid

ad

ad motum *Yam* pertinens erat id, quo Spiritui producenti serviebatur, & vitali auræ olim viventi, (id est, animæ) gratiæ agebantur; atque ita docebantur populi recolere suam originem. Appositio milii, jecoris, pulmonis, capitis, cordis cum duabus vini novi amphoris, & vini odoriferi in terram effusio initio adhibita, sunt quid spectans ad gustum & saporem. Gustus autem & sapor cùm sit quid ad quietem *Yn* spectans, erat id, quo serviebatur Spiritui destruenti seu abeunti, & corpori olim viventi gratiæ agebantur.

7. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y* sic: Ceremoniæ *Cy* die, ipse Rex seu Imperator fune trahit bovem, (id est, Liber refert id quod olim fiebat) ejus filio ad latus unà trahente; primarii Regiæ Ministri in suo quique ordine sequuntur. Postquam Parentalis ædificii portæ successit bos, alligatur ad foramen lapideæ columnellæ. Unus è primariis Ministris, exuta veste exteriori, abscindit istius bovis auris pilos; quódque magni fit, est auris. Deinde cultro ex quo ad consonantiam tintinnabulum dependet, jugulatur, accipitúrque intestinorum adeps. Tum ad breve temporis spatium receditur. Deinde istius bovis caro cruda & semicocta præsentatur, & abitur. Hæcque est maximæ reverentiæ demonstratio. Tum Interpres *Chin hao*: Quando jam jam jugulanda erat pecus, accipiebantur laterales auris pili ad eos Defuncti Tabellæ deferendos; pili autem deferebantur, ut pecudis occisæ omnimoda perfectio denuntiaretur. Per aurem, quæ est auditûs organum, Parentans indicabat suum desiderium, quo voluisset ut Spiritus vel Defunctus se audiret; (id est, demonstrabat filialis animi affectum &c.)

Quæres 2. Ob quem finem olim ipsemet Rex exutâ veste exteriori, pecudem pro defunctorum Parentum Ceremonia *Cy* occisam, in frusta abscindebat?

Respondeo. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic: Princeps binam profundam reverentiam præstat, ac deinde caput usque ad terram demittit; vestem exteriorem exuit; occisam pecudem propriis manibus abscindit. Hoc siquidem modo summam venerationem exhibet: Summam autem venerationem exhibere, est morem gerere; binam profundam reverentiam præstare, est aliquod morem gerendi argumentum; caput usque ad terram demittere, est aliud majus; vestem exteriorem exuere, est omnes morem gerendi partes explere. Tum Interpres *Chin hao* sic: *Morem gerere*, id est, Parentibus obedire & obsequi. *Binam*

profundam reverentiam praestare, *est aliquod morem gerendi argumentum*; *caput usque ad terram demittere*, *est majus*; *vestem exteriorem exuere*, *est omnes morem gerendi partes explere*; id est, vera quidem obsequendi & morem gerendi ratio in interiori animi sensu consistit; sed cùm vestem exteriorem exuit & caput profundissimè demittit, non tantùm animum interiùs, sed etiam totum corpus exteriùs Parentibus morem gerere atque obsequi ostendit Parentans.

Quæres 3. An ista cibi & potûs fercula apponantur, ut Parentum defunctorum animæ comedant ac bibant?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia* sic: Olim, inquit Confucii discipulus *Cem tsu*, ubi aliquis obierat, statim fastidio & horrori erat; cùm enim omni vi & potentiâ destitutus esset, ideò contemptim projiciebatur ac derelinquebatur. Ob hanc causam prisci sapientes Imperatores sancivere varia linteaminum involucra, & tabulas instar ventilabri efformatas exposuere ad efficiendum, ut vivi mortuos fastidio & horrori non haberent. Quare statim atque aliquis obierat, exsiccatæ & conditæ carnis fercula ei apponebantur: ubi in sepulchrum deferendus erat, dapum munus ad valedicendum præsentabatur; postquam sepultus erat, fiebat ei alimentorum appositio: Neminem tamen huc usque reperias, qui unquam viderit mortuum præsentata excipere vel delibare. Ceterùm ab omni retrò antiquitate numquam hæc omissa fuerunt; quia nempe volunt Ritus efficere, ut Vivi Mortuos contemptim non projiciant, nec derelinquant.

Dein Interpres *Chin hao* sic: Quandoquidem dicat *Tsem tsu*: *Ubi aliquis obierat, statim fastidio & horrori erat; cùm enim omni vi & potentiâ destitutus esset, ideò contemptim projiciebatur ac derelinquebatur*; ego arbitror antiquitùs, dum nulli adhuc habebantur Ritus, complures sic egisse. Hinc conjicio primam priscorum Sapientum, qui Ritus instituerunt, mentem hanc dumtaxat fuisse, ut vivos compellerent ad mortuos fastidio & horrori non habendos; nec eos contemptim projicerent ac derelinquerent &c. Ecquis sanè unquam vidit mortuos præsentata excipere aut delibare? Verùm ex quo primùm Ritus olim instituti fuerunt, numquam audivi ista aliquando neglecta aut omissa fuisse. Hæc igitur servant homines, ut habeant cogitationem suæ vitæ origini grates persolvendi, & suum Principium recolendi, non valendo aliter facere, & affectum suum reprimere.

2. Idem

2. Idem Lib. Rit. tom. 2. cap. 4. *Tan kum bia* sic: Ante sepulturam in apponendis escarum ferculis adhibentur vasa omni ornatu expertia, quia Parentans gerit intimum animi dolorem omni ornatu expertem. Triennali autem luctu peracto, dum Ceremoniam *Cy* peragit, tunc multo cum ornatu omnes sui muneris partes explet; sed quamvis sic agat, quî sanè sciat quidnam gratum habeat Spiritus seu Defunctus? hoc ergo Parentans etiam facit, ut intimum suæ æquitatis & reverentiæ animum demonstret. *Ad patefaciendum*, addit Interpres *Chin hao*, *Suum animum*, & *nihil aliud*.

3. Lib. Rit. tom. 7. cap. 19. *Yo ki* sic: Quocircà florida illa musicæ symphonia non fit ad suavem vocum sonum audiendum; nec ille æstivæ Ceremoniæ, (qua omnibus Imperatoris Avis defunctis in Parentali Familiæ conditoris Aula dapes simul apponuntur,) Ritus fit ad degustandos ciborum sapores &c. Antiqui Imperatores non instituerunt Rituum ac musicæ leges ad explendam oris, ventris, aurium, oculorum cupiditatem; sed ad docendos populos veram tum amoris, tum odii æquitatem, qua rectam humanarum actionum normam tenerent. Deinde Interpres *Chin hao* sic ait: Quod musica spectat, est immutare & corrigere pravos mores; & quod Parentalis Ceremonia spectat, est grates suæ origini (nempe à qua nati sumus) persolvere, & suum Principium recolere.

4. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y* sic: Solus vir sapiens potest *Hiam*, seu exhibere animi affectum supremo Domino, sinicè *Xam Ti*; & solus filius obsequiosus potest *Hiam* suis Parentibus defunctis; *Hiam*, id est, animo spectare; postquam illos animo spectat, tunc potest illis *Hiam*, seu animi affectum exhibere. Idcircò filius obsequiosus coram puello, Parentes Defunctos repræsentante, non erubescit; cúmque Rex adducit pecudem & Regina vinum præsentat, Rex isti puello personato præsentat dapes, & Regina dapum fercula; Proceres adjuvant Regem, & Procerum uxores adjuvant Reginam. Omnes sunt in servanda reverentia & sinceritate attentissimi, & cupidissimi, ut ille præsentata munera spectet, gratàque habeat. Et paulò infrà: Hinc Lector seu Ceremoniarum Præfectus denuntiat Parentantis mentem præ nimio animi dolore, in tractando cum Spiritu intelligente seu cum defuncto Patre, vel cum defunctis Majoribus fuisse confusam ac turbatam; filii autem obsequiosi mentem esse, ut præsentatas dapes penè gratas habeant, vel penè spectent.

 5. Lib.

5. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic: Ea, quæ in canneis & ligneis Ceremoniæ *Cy* vasis apponuntur munera, sunt tum aquatiles, tum terrestres fructus; sed absit, ut escæ vulgaris & vilis saporis assumantur; imò & illarum abundans numerus spectatur, atque magni fit. Porrò ratio cur cum Spiritibus intelligentibus seu Defunctis hominibus Vivi habeant communicationem, non est ad escas & dapes edendas.

Ex his sat patet Sinas non offerre Defunctis ista cibi & potûs munera, ut eorum animæ illis fruantur.

Quæres 4. An apponantur ista cibi & potûs munera, ut saltem eorum vaporem, halitum aut odorem, Defunctorum animæ comedant ac bibant? & quid sit demittere Spiritum, sinicè *Kiam xin*?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* ita ait: Ubi aliquis Regulus ad curiam veniens tractatur ut hospes, Imperator vinum ex nigro milio, & ex herbis odoriferis *To* & *Cham* confectum ei præsentat. Quod in hac vini præsentati Ceremonia spectatur, est ille odorifer suffitus.

2. Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki* sic: Reguli dum se invicem invisebant, vinum odoriferum ex herbis *To* & *Cham* confectum offerebant, sed non escæ ferculum. Tum Interpres *Chin hao*: Regulus prædictum vinum infundebat in scyphum, ad offerendum Regulo hospiti, sed non offerebat escæ ferculum; quia Reguli in mutua visitatione virtutis odorem & fragrantiam, non cupediarum ac dapum saporem spectabant.

3. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem*: In Ceremoniis Parentalibus *Cy* id, quod maximè spectabatur sub Imperio Imperatoris *Xun*, erat vitalium Spirituum copia; ideò sanguis, caro cruda, caro semicocta præsentabatur seu apponebatur. Sub Imperio Familiæ *In*, id quod maximè spectabatur, erat musicus concentus; antequam enim pecudes occiderentur, & dapes sapore atque odore gratæ præpararentur; edebatur tertiò repetitus musicæ concentus; quo edito, tunc pecudes adducebantur & excipiebantur. Iste autem musicus concentus erat, id quo cælum inter ac terram fiebat Ceremoniæ *Cy* denuntiatio, (nesciebant nempe Sinæ ubinam esset Spiritus seu anima Defuncti.) Sub Imperio autem Familiæ *Cheu*, id, quod maximè spectabatur, erat suffitus ac fragrantia; ideò ad faciendam Ceremoniam *Quon*, (id est, ut suprà dixi, vinum odoriferum præsentare, vel in terram effundere) Imperatores isti utebantur bene fragranti vini ex herbis *Cham* confecti odore & suffitu, huicque vino suavem

vem odoriferæ herbæ *To* succum immiscebant ac superaddebant, ut iste vini odor, utpote quid ad quietem *In*, (id est, Defuncti corpus) spectans, penetraret in inferiores terræ recessus. Ad præsentandum autem hoc vinum, utebantur pretioso vase *Quey cham*; quódque spectabatur, erat etiam ille pretiosi vasis fragrans odor. Hoc vino præsentato vel in terram effuso, tunc demum ibant ad adducendas pecudes; volebant enim priùs fragrante illo vini odore decorare rem ad quietem *In* pertinentem, (nempe Defuncti corpus.) Posteà odoriferam herbam *Siao* cum milio miscebant, ut fragrans ejus odor ad motum *Yam*, (nempe animam) spectans, penetraret inter muros ac cubicula. Idcircò post appositas coctas carnes, tunc ista odorifera herbæ *Siao* combustio fiebat. In quavis Ceremonia *Cy* id diligentissimè curabatur; quia enim post mortem animæ vitalis aura in cælum, & corporis visibilis figura in terram revertitur; ideò Parentalis Ceremonia *Cy* est quidam modus quærendæ rei, & ad quietem *In*, & ad motum *Yam* spectantis; (nempe quidam modus quærendi honorem corporis & animæ Defuncti.)

Hinc vides quòd omnis ille fragrans odor & suffitus in Parentali Ceremonia *Cy* adhibitus, spectet tantùm ad honorandum Defuncti corpus & animam eo modo, quo vivi olim honorabant illustres hospites; non verò ad comedendum & bibendum; Spiritus enim juxta Sinas nec os, nec corpus habent quo comedant ac bibant. Jam verò, illa vini odoriferi in terram totalis effusio, hisce temporibus vulgò vocatur *Kiam xin*, id est, demittere Spiritum vel Defunctum, voce impropria nec olim usitata; nempe demittere, ut infrà videbitur, intentionaliter per mentalem Parentantis repræsentationem, non realiter.

Quæres 5. An illæ Parentales Ceremoniæ *Cy* fiant, ut saltem Defunctorum animæ ad eas veniant? vel ut animarum dissipatarum aër seu vitalis aura rursus coagulata illic adsit?

Respondeo 1. Lib. *Ge kiam su xu* tom. 4. in Lib. *Lun yu*, seu Sententiarum art. 3. sic: Confucius faciendo Ceremoniam *Cy* suis Majoribus defunctis, tantam filialis animi observantiam & attentionem adhibebat, perinde omninò ac si Majorum animæ illic sursum adstitissent. Similiter eam faciendo aliis externis Spiritibus, tantam etiam animi reverentiam & attentionem afferebat, perinde omninò ac si intelligentes Spiritus illic sursum adstitissent. Spiritus & animæ, figurâ, corpore, voce expertes, non verè illic adsunt; sed id, quod vera Parentantis since-

ritas ac reverentia attingit, est similitudo gemitûs qui videtur audiri; & vultûs qui videtur videri; quæ similitudo ultrò sic se prodit.

Dum ergo hic idem Lib. *Ge kiam su xu* in alio loco dicit: Perinde omninò ac si suprà adesset; quique suprà adest Spiritus, est Spiritus; istud ibi debet intelligi de supremo Spiritu destruente ac producente, sinicè *Quei xin.*

2. Lib. *Lun yu*, seu Sententiarum art. 3. sic: Confucius Parentales Ceremonias faciebat suis Majoribus defunctis non secus ac si præsentes adstitissent. Ad hunc locum ita Interpres *Chu hi*: Dum Confucius Ceremoniam *Cy* faciebat suis Majoribus defunctis, filialis erga illos animus erat omninò sincerus & ab omni simultate alienus; quamvis enim jam dudum obiissent, statis tamen temporibus ita vividè illorum recordabatur, illósque sibi repræsentabat, perinde ac si potuisset eorum vocem ac vultum percipere; eísque persolvendo istos honores Parentales, totam filialis animi sui vim & observantiam explere conabatur.

3. Lib. *Su xu che kiay*, id est, interpretatio quatuor librorum Classicorum Authore *Cham kiu chim* tom. 2. in Libri *Chum yum* art. 16. sic: Illo Ceremoniæ *Cy* tempore dumtaxat repræsentatur Spirituum perfecta intelligentia ac species totum quasi spatium complens ac commovens, ita ut sive sursum, sive dextrorsum, sive sinistrorsum aspicias, eos quasi illic adesse putares. Enimverò Spiritus figurâ, corpore, voce expertes, quî reverâ aut suprà, aut à dextris, aut à sinistris adsunt?

4. Lib. Carminum tom. 8. cap. *Cheu-tsum*, odâ *Ngo ciam*: Hanc ovem, (vel capram,) & vitulum affero ac præsento; illud autem Cælum ad ejus dextram adstat; (id est, inquit Interpres *Chu hi*: Annon penè Cælum descendit, & ad hujus vituli, ovísque dexteram adstat? non enim audet id certò asserere,) Transmissas à Patre *Ven vam* regiminis leges sequor atque imitor, ut totum Imperium quotidiana & continua pace ac tranquillitate impleam. Hoc autem beat Patrem *Ven vam*, & ad dextram existens munus gratum habet. Id est, inquit idem Interpres *Chu hi*, dum sequor atque imitor Parentis mei *Ven vam* leges ac Ritus ad pacandum totum imperium, hoc potest beare Parentem *Ven vam*; dum dicitur *descendere, & hic ad dexteram existens gratum munus habere*, istud est *quasi cerneretur omninò ita esse.*

Ibidem compendiosa Interpr. compilatio sic: Nunc sub finem autumni hanc ovem, (vel capram) & hunc vitulum affero ac præsento. Ve-

Verè ego tota mente ad Te, cæli Domine, pertingens, hæc defero ut patefaciam erga superiorem, meam submissionem. Annon Tu, Cælum, *quasi* descendens ad dexteram hujus ovis & vituli extas? Hic est enim ingens meorum votorum ardor. Paucísque interjectis sic: Transmissas ad Posteros à Parente meo *Ven vam* regiminis leges ac normam ego sequor, ego imitor, nec ausim illas transgredi aut oblivisci. Ut ergo ego imiter Parentis mei *Ven vam* leges, omnésque Imperii populos assiduè tranquillem, verè tota mente hæc præsento, iterúmque aliàs præsentabo. Hoc autem cùm possit beare Parentem *Ven vam*, annon *penè* descendit, & hîc ad dexteram existit ut gratum munus habeat? hæc est ingens meorum gaudiorum summa. Et paulò pòst sic: Dum Interpres *Chu hi* ait: *Non audet id certò asserere*; & istud, *est quasi cerneretur omninò ita esse*, vult dicere istius odæ verba, (nempe poëtica) non esse hac in re strictè, & ut sonant, accipienda, sive non opus ita accipi.

5. Lib. Carminum tom. 8. cap. *Xam tsum*, odâ *Na*, agendo de Parentali Ceremonia, quæ Imperatori *Chim tam* fiebat, sic: Ego Imperatoris *Tam* nepos post ter iteratum Musicæ concentum, accedo ad Avum, atque efformato conceptu ille me tranquillat. Rursus in sequenti oda de efformando conceptu idem repetitur. Ad quem locum sic Interpres *Chu hi*: Efformato, ait Doctor *Chim*, illo homine Defuncto, quem ego mente recolo ac cogito, tranquillor ac pacor; & istud est, quod dicitur: *Spiritus intelligens venit, advenit, appellit*; sicut ipse Liber Rituum dicit: Parentaturus intra præmissæ abstinentiæ dies, recolit Parentum Defunctorum habitationem, risum, verba, voluntatem, mentem; recolit id quo delectabantur, quódque appetebant; atque ita post tres abstinentiæ dies, ii, propter quos abstinentiam à variis rebus præmisit, videntur sibi esse spectabiles ac præsentes; (pro hac Sinica abstinentia à variis rebus, vide Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos.) Ipso Ceremoniæ *Cy* die statim atque Parentale conclave ingressus est, videtur sibi Parentem tamquam effigie expressum in suo signo seu in Tabella lignea extantem videre; dum ad portam circumit, videtur sibi audire Parentis tamquam gravitate verendi ac sese moventis strepitum. Dum portâ egressus auscultat, videtur sibi audire Parentis tamquam singultu oppressi ac profundè gementis vocem: Hæc significant efformare conceptum. Deinde Doctor *Su*: Id, inquit, quod Parentans videt & audit, non existit; à solo conceptu id progignitur. Hæ duæ explicationes

(per-

(pergit Interpres *Chu hi*) mihi videntur verisimiles; quia dum in facienda abstinentia cogitatur ac mente recolitur is, cui facienda sunt Parentalia; dúmque ei ita fiunt, non secus ac si ipse videretur & audiretur, tunc certè homo efformatur; nempe in mente, non realiter.

6. Lib. *Su xu mum yn* tom. 5. in Lib. *Lun yu* art. 3. sic: Quæres: dum quis vero ac sincero filialis animi affectu facit Ceremoniam *Cy* Majoribus suis Defunctis, verène illuc Majores adveniunt, munúsque gratum habent? Respondeo: res dictu difficilis. Videntur præteriti Doctores id singillatim discussisse. Quod ad me attinet, ego judico istud maximè consistere in sola Liberorum ac nepotum, affectum suum reprimere non valentium mente ac cogitatione &c. Omninò autem repugnat Parentum aut Avorum aërem seu vitalem auram, postquam semel dissipata est, posse adhuc aliquando colligi ac coagulari. Quod dicitur, *præteritum abiit, futurum continuatur*, id intelligitur de cæli ac terræ Causa efficiente. Si enim ille dissipatus aër seu vitalis aura, quando Parentalis Ceremonia *Cy* fit, statim colligeretur ac coagularetur; ergo ista Defunctorum vitalis aura seu aër adhuc occultè in mundo degeret; & qui in mundo assiduè itque reditque, esset tantùm ille modicus & tenuissimus aër; ac proinde nostri Doctores non deberent Sectam *Fe* falsitatis omninò condemnare &c. dum quis Majores suos mente recolit, mox illos perinde ac si existerent aut adstarent, vero & sincero affectu prosequitur; & illa Parentalium domuum erectio, illæ Ceremoniæ *Cy* leges, illi abstinentiæ Ritus, tantùm ex hoc affectu se se cohibere non valente, provenerunt &c. Denique si intimè ac profundè res discutiatur, defunctorum Majorum aër seu vitalis aura reapse omninò desiit ac periit; quod illi non moriantur, id tantùm facit tum viri recti, tum filii obsequiosi mens & animus. Et verò numquid id asserunt præteriti Doctores, dum dicunt? si adsit animi veritas ac sinceritas, adest Spiritus; si non adsit, non adest. Id ipsum sanè est.

Ex his textibus videre potes juxta Sinas, Defunctorum animas reverà non venire ad Parentalem Ceremoniam *Cy*, nec illic Physicè adstare, nec vitalem earum auram rursus colligi aut coagulari; sed tantùm illas seu potius Defunctos repræsentari ac coli tamquam præsentes.

Quæres 6. An Sinæ olim in Parentalibus Ceremoniis *Cy* aliquid peterent aut sperarent à defunctis Parentibus?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki* sic ait: Ceremonia *Cy*, inquit

inquit vir ſapiens, caret precibus & poſtulationibus. Tum Interpres *Chin hao* : Ceremonia *Cy* habet ſuos ordinarios & ſtatos Ritus, nec fit ad rogandum aliquod bonum particulare.

2. Lib. Rit. tom. 8. cap. 25. *Cy tum* ſic: Quod in Ceremonia *Cy* facienda ſpectat filii obſequioſi animus, eſt non quærere *propter quid*. Tum Interpres *Chin hao*: *Non quærere propter quid*, inquit Doctor *Ym*, eſt non habere intentionem quærendi bona ſeu aliquam felicitatem; atque hoc eſt quod alibi idem Lib. Rituum dicit: Ceremonia *Cy* caret precibus & poſtulationibus.

3. Lib. Rit. tom. 3. cap. 6. *Yue lim* : Hoc ſecundo Veris menſe in Ceremonia *Cy* non adhibetur animal. Non adhibetur animal, inquit Interpres *Chin hao*, quia eſt parva Ceremonia *Cy* ad aliquid rogandum, nempe à *Xam Ti* ſeu cæli Domino, vel ab aliis Spiritibus.

Hinc vides non tantùm non fuiſſe olim eſſentiale & intrinſecum Ceremoniæ *Cy*, ut per eam aliquid rogaretur; ſed nec ordinarium, nec magnæ Ceremoniæ *Cy* proprium, ut ſunt Parentales.

4. Lib. Rit. tom. 3. cap. 9. *Yue lim* : Hoc ultimo ſeu tertio Veris menſe Imperator præſentat flavas veſtes priſcis Imperatoribus Defunctis; (nempe iis, qui plantarum & arborum uſum promoverant.) Præſentat iſtas veſtes, inquit Interpres *Chin hao*, ad Spirituum ſeu Defunctorum thronum (ſcilicet locum, in quo illorum Tabellæ erant collocatæ,) ut roget pro bombycum operibus.

In eod. cap. *Yue lim* ſic: In magna ſuſpirioſa Ceremonia *Yu*, quæ fit cæli Domino ſeu *Xam Ti*, florida ac plena Muſica adhibenda eſt. Tunc Imperator jubet omnes ſuæ Imperialis ditionis Præfectos præteritis Principibus ac Magiſtratibus defunctis, qui olim de populo bene meriti fuerunt, facere ſuſpirioſam Ceremoniam, ſinicè *Yu*, ad rogandum pro frugum maturitate. Sed nota ibi non agi de Parentali Parentum Ceremonia *Cy*; deinde iſta, & ſimilia poſſunt intelligi de ſola gratiarum actione ad iſtos Defunctos directa pro præteritis in patriam meritis, quando tunc fiebat oblatio cæli Domino ſeu *Xam Ti* ad rogandum pro bonis terræ.

5. Idem Lib. Rit. tom. 3. cap. 6. *Yue lim* ſic : Tunc Imperator aſcendens navim, præſidet captandis piſcibus *Guey* ad eos præſentandos Parentibus defunctis in Parentali eorum domo; tunc enim pro frumenti maturitate orat. Item paulò pòſt idem Liber dicit quòd Imperator

jubeat ab omnibus aliquid contribui ad faciendam Ceremoniam *Cy* cæli Domino aliisque Spiritibus ac Majoribus defunctis, ad roganda pro populis bona.

Sed nota: Ista omnia quæ spectant Parentes defunctos, posse intelligi de præmonitione, non de postulatione; id est, dum Imperator volebat orare cæli Dominum, priùs ibat in Parentalem Parentum defunctorum domum ut denuntiaret suam mentem; sicut, dum Parentes vivebant, nihil audebat ex solo suo arbitrio agere. Idque indicat Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki* sic: Reguli Regni *Lu* quando debebant litare cæli Domino, priùs ibant in Majorum defunctorum domum; ut suam, addit Interpres *Chim* in Libro *Ven bien tum kao* tom. 71., voluntatem eis declararent, & jussum capesserent; imò nunc adhuc idem præscribitur pro Imperatore in Libro *Ta mim hoei tien* tom. 81. Idem intellige de iis, quæ dicuntur in Libro Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa.*

6. Lib. *Xu kim*, seu Annal. Imperial. tom. 4. cap. *Kin tem*, sic Princeps *Cheu kum* loquitur: Cùm nunc vester nepos Imperii successor N. (id est *Vu vam*) vehementi morbo laboret, vos tres Principes, nostri Majores, (id est *Tay vam*, *Vam ki*, *Ven vam*,) debetis apud Cælum intercedere, ut suo filio, id est, Imperatori, adsit; ego autem *Tan*, (est nomen Principis *Cheu kum*) lubens pro illo moriar. Sed nota ibi non agi de Parentali Ceremonia *Cy*; sed dicitur tantùm Princeps *Cheu kum* erexisse tres aggeres ad repræsentandos defunctos Patrem, Avum & Proavum, atque ipse in opposito aggere illos rogâsse, ut intercederent apud Cælum pro fratris salute. Hoc factum particulare non indicat fuisse præscriptas preces pro communibus Parentum defunctorum Ceremoniis *Cy*; imò quasi indicat contrarium; quandoquidem ipse Princeps *Cheu kum* noluerit ire in Parentalem Majorum domum, in qua solent fieri illæ Ceremoniæ, ut ibidem dicitur. Jam verò sic illos oravit, quia fortè ut sanctos habebat, & eos ob suam virtutem apud cæli Dominum posse intercedere putabat. Istorum trium Principum antiquissimorum virtus valde celebratur in Libro Carminum, & immutabilis Medii.

Simili modo intellige ea, quæ in Libro Carminum tomo *Siao ya*, odâ *Tun han*, dicuntur de confugientibus ad suos Majores defunctos in publica calamitate: vel dic esse poëticas afflictorum hominum affectiones. Idem dic de Imperatore *Puon kem*, qui in Libro *Xu kim* tom. 3. cap. *Puon kem*, minatur suos Proceres ac populum, si suo jussui non obsequu-

ti

ti fuerint, à Parentibus & Majoribus defunctis puniendos. Nullas igitur in istis libris classicis & antiquis reperire est præscriptas preces pro communibus defunctorum Parentum Ceremoniis *Cy*

Quæres 7. An Sinæ nunc in Parentalibus Ceremoniis *Cy* petant aut sperent aliquid à defunctis Parentibus?

Respondeo 1. Lib. *Ge kiam ye kim*, id est, quotidiana Libri *Ye kim* explicatio ab hoc Imperatore *Kam hi* in lucem edita tom. 10. symbolo *Tsui* sic habet: Dum Imperator adit Parentalem Majorum suorum domum seu Aulam, non id facit ut petat ac quærat bona aut felicitatem.

2. Idem Lib. tom. 13. symbolo *Huon* sic: Adire Parentalem Majorum domum, modo non recto, est Defunctis adulari. Ideò illam adeundo, oportet veram Majoribus suis reverentiam exhibere & cavere ut fiat Ceremonia *Cy* ad petenda aut quærenda bona.

3. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 86. art. *Xi biam*, Formula Ceremoniæ *Cy*, quæ in quatuor anni temporibus pro Imperatoris defunctis Majoribus præscribitur, sic: Hoc Imperatoris *Hum vu* anno N. mense N. abnepos Imperator N. audet palam Abavo & Abaviæ, Proavo & Proaviæ, Avo & Aviæ, Patri & Matri hæc dicere: Cùm nunc Ver, (Æstas, Autumnus, Hiems) advenerit; Ritus rigidè exigunt, ut fiat vobis Ceremonia *Cy*. Omni igitur cum reverentia istas pecudes, istud vinum, ista omnia dapum fercula ad patefaciendum meæ diuturnæ recordationis & desiderii affectum vobis appono. Id penè gratum habebitis.

4. Lib. *Kia li* tom. 7. Formula communis Ceremoniæ *Cy*, quæ pro quibusvis Parentibus præscribitur facienda in 4. anni temporibus, sic: Hoc Imperatoris N. anno N. &c. Vide suprà Caput 6. Quæres 7. Respondeo 1. Vide etiam ibidem aliarum Ceremoniarum *Cy* formulas, in quibus nihil omnino à Parentibus defunctis petitur, uti nec in aliis omnibus, quas idem Liber præscribit pro aliis Parentum Ceremoniis; cùm tamen in formulis, quas ponit pro supradicto Spiritu terræ, includatur petitio seu oratio; sic enim tom. 5.: Tu, Spiritus, hanc sepulturam protege, tuere, adjuva, ut nullum damnum aut malum patiatur; & tom. 7. sic: Hanc sepulturam semper protege, adjuva, tuere; tuo, Spiritus, favori verè innitor; &c. Doctor quidem *Chu hi*, qui hujus Lib. *Kia li* Auctor fertur, in appendice declarando Parentibus suis Defunctis suam voluntatem abdicandi Magistratûs, dicit: submissè expto, ut Avi mei protegant, adjuvent, respiciant, gaudeant & usque, & usque sine tædio; hoc ardenter cupio:

K 2 Sed

Sed ista formula non est communis ; est tantùm illius privata formula ; loquitúrque vel juxta mentem sectariorum Idololatrarum, vel juxta Rhetoricum loquendi modum, alloquendo mortuos tamquam si viverent ; maximè cum ipsemet ibidem alloquendo Matrem Defunctam dicat : tamquam si, Mens benefactrix, existeres. Cúmque ipse putet animas post mortem perire, quomodo potest aliquid ab iis petere ?

Itaque ex his supradictis colligitur Sinas nunc nihil à Parentibus defunctis in Parentalibus Ceremoniis, quas illis faciunt, petere aut sperare.

Quæres 8. An facienti Parentalem Ceremoniam promittantur bona? & quid per vocem *felicitas*, sinicè *Fo*, quæ sæpe in istis Ceremoniis *Cy* usurpatur, intelligatur?

Respondeo 1. Lib. Carmin. tom. 8. cap. *Cheu tsum*, odâ *Cien* sic : Omnes isti pisces sunt ad parentandum, ad præsentandum, ad magnam felicitatem.

2. Idem Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Tsu tsu* sic : Dum meæ lobæ ac milii messis uberrima fuerit, horreáque penitus plena ; tunc esca & vinum habebitur ad parentandum & præsentandum (nempe Majoribus defunctis,) ad pacandum (nempe Spiritum Personatum seu Puellum Actorem,) ut securè & tranquillè sedeat, ad eum exhortandum ut magis comedat, ad magnam felicitatem. Deinde paulò pòst : Ceremoniæ *Cy* opere exactè peracto , tunc Majores defuncti instar Principum augusti videbuntur, pacatúsque gaudebit Spiritus personatus, nepos obsequiosus felicitate potietur, erítque merces ad magnam fecilitatem, mille & mille vitæ anni sine termino, seu vita longissima.

3. Lib. Carmin. tom. *Siao ya*, odâ *Sin nan xan* : In agrorum marginibus serantur cucumeres ; hi bene dissecti ac condìti præsentabuntur augustis Avis defunctis ; pronepos longissimos annos vivet, cælique auxilium ac felicitatem excipiet ; vel potius dic : vivat, excipiat, &c.

4. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Tien pao* , hospes conviva suo Principi sic apprecatur : Dum facies Parentalem Ceremoniam, Spiritus adveniens multam tibi felicitatem relinquat ; sint, inquam, populi tui sinceri ac recti.

5. Lib. Carm. tom. 8. art. *Lu tsum*, odâ *Pi kum*, Regulum *Hi kum* ob reædificatum Parentale Majorum suorum ædificium, quod collapsum fuerat, sic laudat poëta : Vere igitur & Autumno facere Ceremoniam

Cy

Cy non negligas, & cave nè illam faciendo aberres; maximus cæli Dominus ac Rector præsideat; maximus tuus Avus *Heu cie* illi comes adjungatur; si præsentes rubram pecudem: est id, quod gratum est; est id, quod æquum est. Postquam autem multa felicitas descenderit, Princeps *Cheu kum*, aliique præteriti Reguli te etiam beent.

Nota: ille color ruber, tunc erat in usu; anteà alius. Deinde Interpres *Chu hi* sic ait: Hic & sequens articulus refert summam Reguli *Hi kum* reverentiam in suburbano cæli litamine, & in Parentali Majorum palatio relucentem. Quod autem spectat ad felicitatem, quam Spiritus immittit, eam sic illi exoptat populus. Ibidem compendiosa Interpretum compilatio sic: Quod spectat ad obtinendam Ceremoniæ *Cy* in Parentali palatio exhibitæ felicitatem, eam nos omnes sic illi exoptamus, utpote qui Parentale illud ædificium restauravit.

6. Lib. Rit. tom. 8. cap. 25. *Cy tum* sic habet: Dum dicitur: *Sapientis Ceremonia* Cy *haud dubiè suam recipit felicitatem*, non intelligitur illa, quam mundus vocat felicitatem: hæc felicitas, est operis perfectio: operis perfectio est omnimodæ morigerationis & obsequentiæ vocabulum; qui enim in omni re se morigerum & rationi obsequentem præstat, hic perfectus vocatur; id est, qui intus omnes sui cordis partes prorsus explet, foris uni rectè agendi viæ diligenter adhæret, fideliter Regi, obedienter Parentibus inserviendi principium credit unum & idem esse, denique qui sursum Spiritibus, extra domum Regi ac Magistratibus, intra domum Parentibus accuratè obsequitur atque obtemperat, hic perfectus vocatur. Jam verò solus vir sapiens potest sic esse perfectus: qui autem potest sic perfectus esse, hic demum potest facere Ceremoniam *Cy*. Idcircò sapientis Ceremonia *Cy* perfectam veritatem, sinceritatem, rectitudinem, reverentiam includit; suam ipse facit Ceremoremoniam cum debitis rebus, dirigit cum præscriptis Ritibus, temperat cum recta Musica, distinguit cum diverso tempore; puro denique ac perfecto corde illam facit & nihil aliud. Quod enim spectat filii obsequiosi animus, est non quærere *propter quid*. Tum Interpres *Chin hao*: *Non quærere propter quid*, inquit Doctor *Ym*, id est, non habere intentionem quærendi felicitatem seu bona. Atque hoc est quod idem Liber alibi dicit: Ceremonia *Cy* caret postulatione & precibus.

7. Lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Ly yun* sic: Communem illam & antiquam verborum formulam seu normam, qua Lector nomine Parentantis

in Principio Ceremoniæ *Cy* alloquitur Spiritum, id est, defuncti Tabellam; & in fine nomine Spiritûs personati bene apprecatur Parentanti, non audere immutare, id dicitur magna felicitas. Tum Interpres *Chin hao* : *Magna felicitas*, idem significat ac id, quod in superiori articulo *magna prosperitas* dicitur; (in dicto autem articulo *magna prosperitas*, inquit idem Interpres, idem est ac *rectitudo*, *probitas*, *bonitas*;) vult ergo dicere: Qui servat Ritum ex se naturaliter servandum, hic naturaliter habet felicitatem: hæc felicitas est profectò magna.

Omitto multa alia similia, quibus maximè Liber Carminum est repletus; ex his enim liquet illam Ceremoniæ *Cy* felicitatem esse tantùm operis perfectionem, rectitudinem, vitæ honestatem, ex qua naturaliter bona tum virtutis, tum fortunæ sequuntur ob impletum ritè suum officium; eámque non à Parentibus, sed à Cælo sperari. Deinde illa felicitas ab aliis exoptatur Parentanti, non à Parentante postulatur; & sæpe sunt tantùm verba à Musicis decantata, quibus eam optant; non verò habetur ulla Parentantis oratio, quâ sibi eam petat.

Quæres 9. An in aliis festivitatibus aut Ceremoniis politicis adhibeatur etiam illa felicitatis apprecatio?

Respondeo 1. Lib. *Kia li* tom. 2. in Ceremonia, qua primus pileus solemniter imponitur Adolescenti; vel Puellæ ornatus capitis, Lector seu invitatus Ceremoniarum Præfectus hanc illi apprecatoriam verborum formulam recitat: hujus felicis mensis optimo die indue tandem primum Adultorum habitum; puerilis ætatis mentem ac sensa exue; virtutis tuæ perfectioni prosperè stude; longissimam vitam feliciter age ad magnam & excellentem felicitatem. Paulò pòst sic: hujus felicis mensis optimâ horâ, tuam tandem vestem tibi impono; omni cum diligentia tuam gravitatem ac modestiam serva; sedulam tuæ virili virtuti operam nava; florenti ætate mille & mille annos vive, longæque vitæ felicitate perfruere. Et paulò infrà sic: hoc optimo anno & mense superindue tuum hunc habitum; en omnes fratres tui coram adstant, ut illorum virtutem promoveas ac perficias; capillis & vultu sine fine virentibus excipe Cæli felicitatem. Vide insuper suprà cap. 2. Quæres 2. de octava Ceremoniæ *Cy* specie, num. 2.

2. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Tien pao*, sic hospes suo Principi in convivio bene apprecatur: Cùm Cælum conservaverit & stabilierit tuum Regnum; idem efficiat, ut omni ubertate, & abundantia semper & ubi-

ubique floreat; omni bonorum genere te Cælum cumulet; perennem tibi nullo unquam die terminandam felicitatem impertiat.

Innumeræ sunt aliæ ejusmodi faustæ apprecationes pro conviviis in isto Carminum Libro.

Quæres 10. Quid significent istæ duæ voces *Xam hiam*, quibus solent terminari Ceremoniarum *Cy* formulæ? an significent comestionem aut rei degustationem?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic Interpres *Chin hao*: ista vox *Xam* significat *vix*, *penè*, aut *quasi*, sinicè *Xu ki*. Eamdem significationem refert Dictionarium ordinarium *Ta tsu guei*.

2. Lib. Carm. tom. 8. art. *Cheu tsum*, odâ *Chin lu* sic: Dum illic versantur, carent odio; dum hîc existunt carent fastidio; atque ita illorum laudes *penè*, (sinicè *Xu ki*) possunt de die in diem continuè perennare. Tum compendiosa Interpr. compilatio: ista bina vox *Xu ki*, est vox optantis, non sperantis; seu significat quoddam desiderium, non spem.

3. Dictionarium *Ta tsu guei* in littera *Hiam*: Hæc vox *Hiam*, est eadem ac alia vox *Hiam* (aliter nempe formata de qua jam dicam,) significátque convivalis solemnitatis Ritum, ab unius loci incolis in publica schola celebrari solitum; (hic Ritus habetur Lib. Rit. tom. 10. cap. 45.) significat etiam idem, ac vox *Hin*. Vox *Hin* in eodem Dictionario significat Ceremoniæ *Cy* suffitum gratum haberi à Spiritu, gaudere, delectari, optare, appetere. Vox vero *Hiam* aliter formata in eodem Dictionario significat præbere, præsentare, facere Ceremoniam *Cy*, idem ac vox *Hin* jam dicta, excipere, pertingere; significat Ceremonialis convivii honorarias exhibitiones, & juncta cum voce *Yen* ipsum etiam reale convivium. Istæ autem honorariæ, inquit Doctor *Tu yu*, Ceremonialis convivii exhibitiones, ex multis honoris signis & urbanitatibus componuntur: exponitur fultrix parva mensa, sed illi non incumbitur; vini scyphus impletur, sed illud non bibitur; carnis siccatæ & conditæ ferculum apponitur, sed illa non comeditur; atque hæc fiunt ad docendam reverentiam, urbanitatem, temperantiam.

4. Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki*: Qui Ritus servat, hujus virtutem gratam habent Spiritus, sinicè *Hiam*. Vide etiam suprà in hoc Capite 7. Quæres 3. num. 4. Itaque istæ duæ voces *Xam hiam* in fine formularum Parentalis Ceremoniæ nihil aliud videntur significare, quàm *penè* aut ***quasi gratum habere***, sive ***id penè gratum habebis***, vel ***habebitis***;

ni-

nimirum exoptat Parentans, ut Defunctus non secus ac si adhuc viveret, quasi aut penè respiciat, & gratum habeat id, quod apponit in isto Ceremoniali convivio.

Quæres II. Ob quem tandem finem fiunt istæ Parentales Ceremoniæ?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li ki* sic: Ritus sunt id, quo recordamur eorum, ex quibus nati sumus. Dein Interpres *Chin hao* sic: Omnes res suam à Cælo trahunt originem, homines suam à suis Avis. Quod Ritus spectant, est grates nostræ origini persolvere, nostrum Principium recolere, nec unquam oblivisci eorum, ex quibus nati sumus.

2. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y*: Vir sapiens antiquitatis memor, & gratus erga suum principium, non potest oblivisci eorum, ex quibus vitam accepit. Idcircò quàm maximam potest, affert reverentiam; omnem animi sui affectum prodit; totas suas vires in quavis re seu Ritu bene peragendo exerit. Ut enim grates Parentibus persolvat, omnes sui muneris partes non adimplere non audet.

3. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y*: Dum Princeps *Ven vam* faciebat Ceremoniam *Cy* Parentibus, inserviebat mortuis, sicut vivis inserviisset; cogitabat mortuos perinde ac si non optâsset ipse vivere, illísque commori desiderâsset. Anniversario obitûs die intimum suum dolorem singulariter demonstrabat, & ita Parentum defunctorum nomen proferebat, quasi eos vidisset: adeò vera & sincera erat ejus Parentantis observantia.

4. Liber Rit. tom. 6. cap. 15. *Sam fo siao ki*, Interpres *Chin hao* sic: Ad faciendam Parentalem Ceremoniam *Cy* adhibere illos Ritus, qui erga vivos adhibebantur, istud est adimplere verum filii munus.

5. Lib. Rit. tom. 8. cap. 25. *Cy tum*, Interpres *Chin hao* sic: Veritas, sinceritas, fidelitas, reverentia, hæ quatuor virtutes sunt id, in quo se fundat Parentalis Ceremonia *Cy*.

6. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y*: Dum filius obsequiosus Parentalem facit Ceremoniam *Cy*, ita omnem cordis sui affectum intendit, ut etiam se foris prodat; & ita omnem internam suam sinceritatem ac reverentiam explet, ut simul exteriùs appareat; omnes Ritus absque ulla transgressione servat; sive accedat, sive recedat, ita reverentem se semper præstat, perinde ac si ipse esset auditurus Parentum jussa, aut fortè illi aliquid sibi forent præcepturi.

Hæc clariora sunt, quàm ut ulteriori explicatione indigeant; ac proinde sat patet, ob quem finem istæ Parentales Ceremoniæ fiant.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Parentalibus Ceremoniis, quæ fiunt Benefactoribus defunctis, & maximè Confucio.

QUæres 1. Quænam origo faciendi Parentales Ceremonias Benefactoribus defunctis, & maxime priscis Magistris?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa* sic habet: Sapientes prisci Imperatores sic Ceremoniarum *Cy* leges instituerunt, ut qui præclara olim vivendi ac regendi præcepta populis tradidissent, iis fieret Ceremonia *Cy*; quique pro patria defendenda, adjuvandáque occubuissent, fieret etiam iis Ceremonia *Cy*, &c. Deinde Interpres *Chin hao* sic ait: incipiendo ab Imperatore *Xin num* & Principe *Ki* usque ad Imperatorem *Tao*; & ab Imperatore *Hoam Ti* usque ad Principem *Sie* (nimirum duobus & ampliùs ante Christum natum annorum millibus juxta Chronologiam Sinicam) sunt ii, qui præclara vivendi ac regendi præcepta populis tradiderunt.

2. Lib. *Cheu li*, seu Ritus Imperii *Cheu*, tom. 3. *Chun quon* art. *Ta su yo* sic: Qui doctrina & virtute præcellunt, jubendi sunt filiorum Principum Magistri; post illorum autem mortem, quia fuerunt virtutum concordiæ Authores, seu rectè vivendi viæ Doctores, ideò illis in Schola *Ku tsum* facienda est Ceremonia *Cy*. Et ibidem Interpres *Chin gin sie* addit: ad ostendendum nos non oblivisci doctrinæ, quam tradiderunt.

Quæres 2. Ob quem finem fiebant istæ Parentales Ceremoniæ *Cy* priscis Magistris?

Respondeo 1. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y* sic habet: Imperator in Parvulorum Schola facit Ceremoniam *Cy* priscis Sapientibus ad edocendos Regulos sapientiam ac virtutem. Hæc Schola erat in occidentali suburbio Regiæ urbis sita.

2. Lib. Rit. tom. 6. cap. 18. *Hio ki* sic: Quando discipuli Adultorum Scholam primùm adeunt; litterarum Præfectus, confectum ex cervina pelle pileum gerens, præsentat priscis Magistris legumina, ut discipulis ostendat existimationem & venerationem, quam erga scientias & liberales artes habere debeant.

3. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 43. sic: Olim discipuli Magistrum invisentes, legumina ei offerebant. Ibidē sic: Ritus præsentandi priscis Magistris legumina, significat munus, quod quis offert, dum alium primò invisit.

4. Lib. Rit. tom. 4. art. 8. *Ven vam xi tsu*: In qualibet palæstra, litterarii vernæ & æstivæ tempestatis Præfecti ea, quæ præsentant priscis Magistris, tantùm apponunt seu coram deponunt; litterarii hibernæ & autumnalis tempestatis Præfecti eodem modo etiam faciunt. Dein Interpres *Chin hao* sic ait: quæ præsentant, tantùm coram apponunt; nullus ibi habetur Spiritus personatus, seu Actor Defunctum repræsentans; non comeditur, non bibitur, non sibi invicem propinatur, &c. sic autem agunt; quia id, quod spectant, est exhibere illum honoris Ritum, non pensare merita.

5. Lib. Rit. tom. 4. cap. 8. *Ven vam xi tsu* sic: Quotiescunque nova palæstra erigitur, oportet dona apponere, seu præsentare priscis Sapientibus ac priscis Magistris; & hæc dona debent esse serica volumina seu sericum volumen; (munus nempe ordinarium quo viventes utuntur, dum se invicem invisunt, ut passim videre est in Libro *Y li*, id est, Urbanitatum & Rituum.) Dein Interpres *Chin hao*: Dum novus Regulus creatur, suique regni possessionem accipit, jubetur ab Imperatore suos populos docere, ideóque statim scholam erigit.

Quæres 3. Quando & quomodo inceperit Parentalis Ceremonia *Cy* fieri Confucio, ceu prisco Magistro?

Respondeo 1. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 43. sic: Imperator *Kao tsu* primus Familiæ Imperialis *Han*, rediens ex parte Australi transivit per Provinciam *Xan tum*, & Parentalem Ceremoniam fecit Confucio in ejus Parentali domo, præsentans unum bovem, ovem, porcum.

Sub Imperatore *Tuen Ti* ex eadem Familia *Han* decimo, Confucius habitus est ut Imperatorum Magister, & donatus titulo honorario Principis ditionis *Pao chim*, & ejus Posteri nobilitatis titulis decorati. Imperator *Quam vu*, ex eadem Familia *Han* decimus sextus, visitans Provinciam *Xan tum*, misit unum supremi tribunalis Præsidem ad faciendam Confucio Ceremoniam *Cy* in ejus Parentali Aula. Imperator *Mim Ti*, prædicti *Quam vu* Successor jussit, ut omnes urbes & oppida murata, celebrando Ceremonialem publici convivii Ritum in Schola, Parentalem facerent Ceremoniam sapientibus Magistris *Cheu kum* & Confucio. Et aliquot pòst annis, ipsemet visitavit Parentalem Confucii domum, eíque, & 72. ejus di-

discipulis fecit Ceremoniam *Cy*. Intravit in Aulam, in qua olim docebat Confucius, ibique jussit filium suum Imperii heredem, aliósque regios Principes explicare libros classicos.

Hujus Successor *Cham Ti* visitando orientalem Sinensis Regni partem, transivit per Provinciam *Xan Tum*; & Parentalem Confucii domum, dictam *Kiue li*, vel potiùs sitam in loco dicto *Kiue li*, invisit; eique, & 72. ejus discipulis fecit Ceremoniam *Cy* cum Musica, præsentando bovem, porcum & ovem; congregavítque sexaginta tres ex Posteris Confucii; & qui inter illos erant litterati, jussit ut explicarent librum Sententiarum. Deinde Imperator *Vu Ti* ex Imperiali Familia *Cin*, jussit ut singulis quatuor anni temporibus in Regia Schola, & in Provincia *Xan tum* præpararentur tres pecudes Confucio præsentandæ. (Nimirum Principes olim Sinenses solebant illustribus hospitibus præsentare seu offerre tres pecudes, unum bovem, ovem, porcum; uti fuse describitur in libro antiquo Ceremoniali *Y li*, id est, Urbanitatum & Rituum, tomo 8.)

Imperator *Kao tsum* ex Familia *Tam*, magni Magistri titulo Confucium donavit. Imperator *Kao tsu* ex Familiæ *Tam*, jussit Præfectos litterarum exstruere Principi *Cheu kum* & Confucio Parentalem Aulam, sive Parentalem palæstram, unicuique suam; & singulis quatuor anni temporibus facere illis Ceremoniam *Cy*.

2. Liber *Kum miao ly yo kao*, tom. 1. sic: Cùm priùs haberentur duæ Parentales Aulæ; altera pro Principe *Tay kum*, fratre minore Principis *Cheu kum* tanquam militarium virorum corypheo, sita ad partem occidentalem; & altera ad orientalem pro Confucio tamquam civilium Alumnorum Magistro: Imperator *Hum vu* primus ex Familia *Ta mim* jussit, ut tolleretur seu abrogaretur illa Principis *Tay kum* Parentalis Aula; & omnes tum militarium, tum civilium disciplinarum alumni unum solum Confucium revererentur, eique soli juxta Ritus Regiæ Scholæ Parentalem facerent Ceremoniam *Cy*. Deinde cum à sectariis Idololatris, seu cultoribus idoli *Fo*, sub Imperatore *Hiuen tsum* Familiæ *Tam*, cœpisset erigi statua Confucio, vestitúque & insignibus Imperialibus ornari; Imperator *Hum vu* conspicatus illum errorem, jussit omnes Confucii statuas destrui, & earum loco poni Tabellam ligneam (Confucii scilicet nomine inscriptam); atque ita diuturnus Idololatrarum error sublatus est. Sed quia aliqui non sustinuerant destrui Confucii statuas, quæ adhuc alicubi remanebant; ideò Imperator *Kia cim* seu *So hoam* fortiter tandem omnes abstulit.

Posteà ibidem refert, & refellit varia honoraria nomina; præsertim Imperatoris, indita Confucio à præteritis Imperatoribus.

3. Lib. farrago variarum rerum ad scientias spectantium, finicè *Y ven luy ciu*, tom. 32. art. *Xe tien*, sic ait: Doctor *Fan kieu* imperante Familia *Cin*, in suo libro Doctorem *Fum boay* interrogat his verbis: Eccur, inquit, ab Imperio Familiæ *Han* usque ad hæc tempora, Parentalis Ritûs munus priscis Magistris apponi vel præsentari solitum, uni tantùm Confucio præsentatur, non autem Principi *Cheu kum*? Enimverò reponit Doctor *Fum*, juxta id quod dicis, non tantùm Princeps *Cheu kum*, sed etiam Principes *Yao*, *Xun*, *Ven vam*, proponendi essent. Ex hoc patet, quòd Parentalis domus vel Aula ab Imperatore *Kao tsu*, ut dixi suprà, jussa erigi Principi *Cheu kum*, non durârit.

4. Lib. *Kum miao ly yo kao*, tom. 3. in principio sic habet: Sub tribus primis Imperiis Familiarum *Hia*, *Xam*, *Cheu*, dum Reguli creabantur, tunc unumquodque illorum Regnum seu principatus habebat suam Scholam; ideò in unaquaque priscis Magistris fiebat Ceremonia *Cy*. Postquàm autem surrexit Imperium Familiæ *Cin*, quæ Regulos, & regna abstulit, tunc iste Parentalis Ritus cœpit negligi & omitti. Deinde exurrexit Imperium Familiæ *Han*, cujus primus Imperator *Kao*, ex Australi fluvii *Hoay* regione rediens, transivit per Regnum *Lu*, id est, Provinciam *Xan tum*, & Parentale munus bovem, ovem, & porcum præsentavit Confucio. Deinde Imperator *Quam vu*, visitando istud Regnum *Lu*, jussit supremi tribunalis operum publicorum præsidem, Parentalem facere Confucio Ceremoniam. Posteà Imperator *Mim Ti* visitans locum, in quo est Confucii sepulchrum seu Parentalis domus, Parentale etiam unius bovis, ovis, porci munus ei præsentavit. Ibidem eidem Imperator *Ngan Ti* fecit Parentalia; sed hæc Parentalia tunc tantùm casu fiebant. Posteà verò cùm imperassent Principes Regnorum *Tsao*, *Guei*, & *Ci*, tunc jusserunt publicarum Ceremoniarum *Cy* Præsidem istum Ritum facere, túncque cœpit vocari prisci Magistri Parentalis Ceremonia *Cy*; & horum vestigiis inhæserunt sequentia Imperia tum Australia, tum Borealia, dicta *Cin*, & *Guey*. Denique Imperatores Familiæ *Suy* illam Parentalem prisci Magistri Ceremoniam *Cy* sanciverunt fieri secundo veris & secundo autumni mense. Ejus historia in singulis urbium majorum & minorum Scholis potest videri.

Quæres 4. Quinam sint Parentalis Ceremoniæ *Cy*, quæ fit Confucio, Ritus? Re-

Respondeo; Lib. *Ta mim boei tien* tom. 91. art. *Sien su kum tsu*, id est, *priscus Magister Confucius*, sic illos refert ac præscribit: Imperator *Hum vu* anno sui Imperii 15. jussit omnes litterarum Præfectos Parentalem facere Confucio Ceremoniam *Cy*; & anno 26. modum ejus faciendæ pro omnibus Imperii urbibus majoribus & minoribus sic præscripsit: Primò servetur consueta à variis rebus abstinentia, & præmoneantur ii Præfecti, qui in Parentali functione debent fungi aliquo officio. Posteà inspiciendæ & occidendæ pecudes; scilicet, unus bos, quinque capræ, novem porci, unus cervus, quinque lepores. Deinde Liber ibidem describit quomodo ista omnia animalia occisa, & confecta ex iis aliisque rebus dapum fercula, ac vasa disponantur ante Confucii, ante *Yen tsu, Cem tsu, Tsu su tsu, Mem tsu*, & ante aliorum decem Confucii discipulorum ligneas Tabellas, quæ sunt hinc & hinc suo ordine distributæ, tamquam discipulorum loca, in Parentali Confucii palæstra seu Aula. Præterea ante illam Confucii Aulam, in lateralibus atrii cubiculis orientalibus, sunt insignium Doctorum quinquaginta tres ligneæ Tabellæ; in occidentalibus quinquaginta duæ, ante quas sua etiam dapum fercula apponuntur, &c.

Die Ceremoniæ *Cy* allapso, sic Ritus fiunt: Unus Præfectus Ceremoniarum dicit: Pulsatores instrumentorum & musici gesticulatores seu Saltatores, suum quique locum adeant; Præfecti officio fungentes, suum quique curent munus. Adjutores & Comites Parentalis Ceremoniæ Præfecti, suum teneant locum. Alius Ceremoniarum Præfectus dicit: deduc Præsidem Parentalis Ceremoniæ ad locum, in quo manus lavandæ. Alius Præfectus Ceremoniarum ait: accedat ad manus lavandas, inserat lateri Tabulam onychinam, (quam nempe olim Sinæ in manu præferebant honoris ergo); illam extrahat, vadat ad locum, ubi reverentia exhibenda. Reverentiâ exhibitâ, alius Ceremoniarum Præfectus ait: capiat suum locum. Alius Præfectus Ceremoniarum: excipiatur Spiritus; edatur Musica. Musica cessante, alius Præfectus Ceremoniarum dicit: quadruplex profunda reverentia exhibeatur. (Nota dum hi Præfecti Ceremoniarum dicunt aliquid faciendum, statim id fit.) Alius Præfectus Cerem. ait: Ceremoniæ comites eamdem exhibeant.

Alius Præfectus Cerem. ait: prima vice præsentetur vinum: edatur Musica. Præfecti officio fungentes accipiant serica volumina, & scyphi vinum; unusquisque eat ante cujusque Defuncti, seu Spiritûs Tabellam. Alius Præfectus Cerem. dicit: deducatur Præses Ceremoniæ ante prisci

Magistri summè excellentis Confucii defuncti seu Spiritûs Tabellam ; inferat lateri Tabulam onychinam ; præsentet serica volumina. Tum famuli illa accipiunt & coram apponunt ; quibus appositis, tradunt vini scyphum, & alius Præfectus Ceremoniarum dicit : Præses præsentet vini scyphum ; extrahat Tabulam onychinam ; eat ad locum legendæ Parentalis Ceremoniæ formulæ destinatum. Dein cessante Musica, pergit : omnes flectant genua. Alius Præfectus Cerem. dicit : Lector accipiat formulam ; flectat genua ad sinistram Præsidis ; legat ; nempe hanc Parentalis Ceremoniæ formulam : *Hoc Imperatoris* Hum Vu *anno N. mense N. die N. ipse Imperator misit Præfectos N. N. ad faciendam Ceremoniam* Cy *prisco Magistro Confucio, & quatuor ejus Comitibus discipulis, hæc dicendo : Tua virtus, Magister, cælo terraque æquatur : tua doctrina omnibus novis & antiquis (scilicet Sinensibus) præcellit ; in sex libris classicis expurgandis & explicandis, omnia futura sæcula illustrâsti. Idcircò adhibendo istas pecudes, ista serica volumina, istud vinum, istas dapes, ista omnia ferculorum genera, magna cum reverentia juxta veterem normam ordinatim tibi appono mundam muneris exhibitionem : tibique Comites adjungo discipulum* Yen tsu, *verum Magistri exemplar ; discipulum* Cem tsu, *genuinum Magistri Interpretem ; nepotem* Tsu su tsu, *studiosum Avi doctrinæ propagatorem ; &* Mem tsu, *alterum à Te* xim, *seu sapientem. Id penè gratum habebis.* Qua lectâ formulâ, Præfectus Ceremoniarum dicit : reverentiam exhibeant levi corporis inclinatione ; surgant. Præses eat ante *Yen tsu*, veri Confucii exemplaris defuncti Tabellam ; inferat lateri Tabulam onychinam ; præsentet vini scyphum ; extrahat Tabulam onychinam ; eat antè *Cem tsu* genuini Confucii Interpretis defuncti Tabellam, &c. ut antè. Eat ante *Tsu su tsu*, studiosi Confucii doctrinæ propagatoris defuncti Tabellam, &c. ut antè. Eat ante *Mem tsu*, alterius à Confucio Sapientis defuncti Tabellam, &c. (*ut antè*, id est, præsentet vini scyphum ;) redeat ad locum.

Musicâ cessante, Præfectus Cerem. dicit : Adjutores & comites Parentalis Ceremoniæ Præfecti, accedant ad suum locum ; præparent se ad res præsentandas ; eant ad lavandas manus, inferant Tabulam onychinam ; eam extrahant ; eant ante Defunctorum, nempe decem Confucii discipulorum, Tabellas ; inferant lateri Tabellam onychinam ; famuli serica volumina tradant Præfectis. His voluminibus coram appositis, famuli

muli rurſus tradunt, Præfectis vini ſcyphum; quo etiam appoſito, rurſus Ceremoniarum Præfectus dicit: extrahant Tabulam; redeant ad locum.

Alius Præfectus dicit: vinum ſecundâ vice præſentetur; edatur Muſica. (Famuli tradunt vini ſcyphum Præſidi ad apponendum ante Confucii Tabellam, qui nempe, uti prima vice, apponitur; ſine ſericis tamen voluminibus.) Ceſſante Muſicâ, ait, vinum tertiâ vice præſentetur, (nempe Confucio tantùm, uti in ſecunda.) Edatur Muſica, &c. Ceſſante Muſicâ idem Præfectus Ceremoniarum dicit: bibatur felicitas, ſeu vinum fauſtitatis, & excipiatur eſcæ ferculum. Alius Præfectus Cerem. dicit: Præſes, eat ad locum bibendi vinum fauſtitatis; flectat genua; inſerat lateri Tabulam onychinam. Tunc famuli tradunt ipſi vini ſcyphum; quo tradito, rurſus Præfectus Cerem. dicit: bibatur vinum fauſtitatis; (nempe vini ſcyphum leviter admoveat ad labia.) Poſteà famuli ei tradunt carnis appoſitæ ferculum; & Præfectus Ceremon. dicit: excipiatur ferculum; extrahatur Tabula onychina; fiat corporis inclinatio, ſurgat, redeat ad locum; omnes utrimque profundam reverentiam exhibeant, (pro hoc eſcæ ferculo & fauſtitatis vino vide Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos.) Alius Præfectus Ceremoniarum dicit: colligantur fercula; edatur muſica. Tunc famuli omnia fercula, quæ ante ſingulas ligneas Tabellas erant appoſita, colligunt. Poſtquàm ceſſavit Muſica, rurſus dicit: deducatur Spiritus, ſive valedicatur Spiritui vel Tabellæ; edatur muſica. Alius Præfectus Cerem. dicit: Omnes quadruplicem profundam reverentiam exhibeant. Alius dicit: Lector accipiat Ceremoniæ formulam & Præſes præſentata ſerica; eántque ad foveam, in qua iſta concrementur. Cùm iſta concremantur, rurſus dicit: ſpectent ad foveam. Redeant ad locum. Ceſſante Muſicâ alius dicit: Ceremonia peracta eſt. (Pro his & aliis Ceremoniis vide præfatum Tractatum.)

Jam verò quod attinet ad Muſicam, hæc ab Inſtrumentorum pulſatoribus, & muſicis geſticulatoribus ſeu tripudiantibus decantatur; intellige in grandioribus urbibus; nam in minoribus non adhibetur illa Muſica geſticulatoria.

Prima Muſica ſeu verſuum ſtropha, quæ decantatur, dum dicitur, excipiatur Spiritus, hæc eſt: O quanta excellentis Doctoris dignitas! doctrina veneranda; virtus ſublimis. Verum Regum regimen inde normam accipit, & populi documenta ejus venerantur. Ritus & Ceremoniæ ſuas ſtatas habent leges; mundities ac bonitas pari curâ ſervata eſt. Adveniente Spiritu, proh! quàm reſplendet excellens ſpecies!

2. Ver-

Secunda Versuum ſtropha, quæ decantatur, dum ſerica volumina præſentantur & prima vice vinum præſentatur, hæc eſt: Ecquis ab omni Ævo (ſcilicet in China) ejus perfectionem potuit attingere? clara illa noſtri Magiſtri intelligentia omnes præteritos Sapientes (ſinicè *Xim*, id eſt, Excellentes) ſuperavit. Dapum fercula & ſerica munera perfecta extant; Ritus ac decor illis correſpondent; milium quidem odore caret, (id eſt, non eſt ſicut vinum odoriferum, quod bonum odorem exhalat;) ſed Spiritus intelligit.

Tertia Verſuum ſtropha, quæ decantatur, dum ſecunda vice præſentatur vinum, hæc eſt: O quanta ſapientis Magiſtri excellentia! verè à Cælo eſt iſta virtus. Ad eam celebrandam Muſica compoſita: ſtatis temporibus ſine faſtidio fit Parentalis Ritus. Limpidum vinum optimè fragrat; præſtantes pecudes perfectam ſuam & magnitudinem & pinguedinem habent; iſta omnia præparata munera claro Spiritui ita præſentantur, quaſi ipſe manifeſtè adveniret.

Quarta Verſuum ſtropha, quæ decantatur, dum tertia vice vinum præſentatur, hæc eſt: O coryphæe, omnium Imperatorum Magiſter! O omnium populorum ac rerum norma! Num ſpectatis, ut magnifica illius ſpecies diffundatur? ut Spiritus quietè ſiſtat? vinum vaſi aureo infuſum, ô quantam & claritatem & ſaporem exhibet! ter præſentato vino aſcendendo, (nempe ad Tabellam,) o quàm bene Ritus erit peractus!

Quinta Verſuum ſtropha, quæ decantatur dum colliguntur fercula, hæc eſt: En exiſtunt in primo ordine vini amphoræ, bovis & elephantis formam præferentes, ac deinde omnia dapum vaſa in ſua quæque ſerie ritè ordinata; cùm illud fuerit bene fragrans ad præſentandum, & hæc bene munda ad apponendum; Ceremoniæ exactè ſervatæ, Muſica perfecta, homo tranquillatus, Spiritus oblectatus; ergo Ritu Cy felicitas excipitur, ſequendæque ſine tranſgreſſione rectè rationis via indicatur.

Sexta Verſuum ſtropha, quæ decantatur, dum dicitur valedici Spiritui ſeu Defuncto, hæc eſt: Quàm veneranda eſt Scholæ Aula! ex omni plaga ad eam colendam advenitur. Parentale opus & interiori reverentia, & exteriori gravitate peractum eſt. Id enim quod gratum habetur, eſt tantùm odor (nempe virtutis, &c.) Aurigans redit Spiritus. Abſolutâ igitur mundâ honoris exhibitione, innumeram omnes recipiant felicitatem.

Pro his omnibus verſuum ſtrophis vide etiam jam ſæpiùs dictum Tractatum de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos.

Quæ-

Quæres 5. Ob quem finem fiat Confucio Parentalis Ceremonia *Cy*? & an in ea aliquid à Confucio petatur?

Respondeo 1. Lib. *Sim li piao ti*, seu naturæ & rationis brevis expositio tom. 1. art. *Kum tsu xam* sic ait: Confucii Liber dictus *Ver* & *autumnus* rectam imperandi viam monstrat ac magnam regiminis artem perspicuam reddit. Hunc Confucius pro futuris Imperatoribus elaboravit; relati enim ibi perduelles Præfecti ac prædones qui dignis olim suppliciis affecti fuerunt, metum venturis incutiunt. Præclarum sanè opus, perenni ævo dignissimum! Hinc Imperatores ad compensandam Confucii virtutem & merita inexhausta, Parentalem ei faciunt Ceremoniam *Cy*.

2. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 43. sic ait, referendo supplicem aliquem Regii Ministri libellum: Quia Confucius concinnavit librum Annalium Regni *Lu*, id est, Provinciæ *Xan tum*, dictum *Ver* & *autumnum*; composuit Librum de filiali observantia; fusiorem Libro *Te Kim* adjunxit elucidationem; & omnia in aliis libris classicis debito ordine disposuit & explanavit: ideò singulariter ei erecta est Parentalis Aula seu Palæstra; donatúsque honorario titulo Principis ditionis *Pao chim*. Dum in quatuor anni temporibus itur ad faciendam ei Ceremoniam *Cy*, confestim eâ factâ abitur; nec ullus est, qui Parentalis Aulæ supellectilem custodiat. Rogamus igitur Vestram Majestatem, ut custos aliquis constituatur.

3. Idem Lib. eod. tom. 43. sic: Imperator *Tay tsu* ex posteriori Familia *Cheu*, annis sui Imperii dictis *Quam xun*, visitans Parentalem Confucii Aulam, cùm vellet coram Confucio se prosternere, monitus fuit ab Aulicis, nè id faceret; quia non decebat subditum à Domino coli. Quid? respondit illis Imperator: rei litterariæ Princeps, Infinitorúmque Imperatorum Magister non meretur, ut profundissima veneratione colatur? quibus dictis, statim ante Parentalem Confucii Aulam profunda cum reverentia se prostravit, & dona præsentavit.

4. Lib. *Kum miao ly yo kao* tom. 1. refert Imperatorem *Chim tsu ven*, seu *Yum lo*, sic loquentem: Quod spectat ad Confucium Imperatorum Magistrum; ego quidem scio Imperatores esse populorum Dominos; sed Confucius viam, quam populi tenere ac sequi debent, stabilivit: ipse enim magnum illum triplicem humanæ conditionis ordinem inter Patrem & filium, inter Regem & Subditum, inter maritum & uxorem; Cardinales illas quinque virtutes, pietatem, æquitatem, honestatem,

M pru-

prudentiam, veritatem; eximias illas & universales recti Regiminis leges ad omnium sæculorum instructionem singulari claritate elucidavit. Hinc me decet adire primariam palæstram, ut ei tamquam prisco Magistro, Parentalem faciam Ceremoniam *Cy*; Litteratos honorandi, eorúmque doctrinam magni faciendi intentioni obsecuturus.

5. Lib. *Ven bien tum kao* tom. 44. art. *Tam kay yuen li*, Parentalis Ceremoniæ *Cy*, quæ fieri solet Confucio, quæque ibidem fusè describitur, hanc affert formulam: Hoc anno, mense, die, Præfectus N. nomine N. missus ab Imperatore ad vinum præsentandum, audet palam prisco excellenti Doctori Confucio hæc dicere: vastam, Magister, intelligendi facultatem, naturalémque rerum notitiam liberalissimè Cælum tibi donavit; hinc Rituum leges ac Musicæ artem bellissimo ordine concinnâsti; liberales disciplinas, honestámque vivendi rationem perspicuè tradidisti; aliáque præclara gesta ac mores transmisisti, qui etiam nunc post tot sæcula suspiciuntur, efficiunt, ut ego tuorum discipulorum ultimus, honestati & litteris acquirendis vacare possim. Idcircò adhibendo ista serica volumina, istas pecudes, istud vinum, ista omnia dapum fercula omni cum reverentia juxta antiquam normam ordinatim tibi appono mundam muneris exhibitionem, priscúmque Magistrum *Yen tsu*, & reliquos tibi comites adjungo. Id penè gratum habebis.

Vides ex hac verborum formula, quâ Præses Ceremoniæ, nomine Imperatoris, apertè declarat suam intentionem, mentem, ac motivum faciendæ istius Ceremoniæ *Cy*, nullas omninò preces fundi Confucio; sed ejusmodi honorem illi exhiberi ob doctrinam, quam Posteris transmisit. Idem etiam videre potes in alia Confucii Ceremoniæ *Cy* formula, quàm suprà in hoc Capite 8. Quæres 4. retuli ex Libro *Ta mim hoei tien*, & quæ nunc in usu est; ubi nihil precum, nihil orationis aut postulationis omninò habetur, sed dicitur ob transmissam doctrinam talis honor ei præstari; ac proinde liquet ob quem finem ac motivum fiat Confucio illa Parentalis & solemnis Ceremonia *Cy*.

Deinde nullam in Parentali Confucii palæstra seu Aula haberi statuam aut imaginem supradictus Lib. *Kum miao ly yo kao* tom. 1. circa finem sic disertis verbis asserit: Nunc verò Confucii statuæ, quæ priùs habebantur, omninò sublatæ sunt; uti & omnes ejus imagines etiam sublatæ; habitúsque ille Imperialis, quo induebatur, reformatus. Dum quis Parentalem ejus palæstram nunc ingreditur, ejúsque Aulam ascendit,